






Ce 418  
417

1) Liberius,  
nov 21 — 47

o.o.



DE VERA NOBILITATE  
ORATIONES DVÆ,  
A DVOBVS IUVENIBVS, NO-  
BILEM PVELLAM AMBIENTIBVS,  
APVD SENATVM ROMANVM HABITAE;

Olim à BONAGARSO PISTORIENSI Iurecon-  
sulto, & suæ ætatis Oratore clarissi-  
mo conscriptæ;

Ac deinde per XYSTVM BETVLEIVM AVGVSTA-  
NVM in ludi formam redactæ.

*Nunc verò*

Actiōne Ciuili nova, interpellationibus Consulibus  
Senatorumq; diversis sententijs & Oratio-  
nibus, exercendæ Iuventutis  
ergò, vestitæ;

A MATTHIA NIZOLIO THORVNIENSI  
Borussø, Gymnasij patrj ProRettore.



Thorunj Borufforum,  
Excudebat ANDREAS COTENIVS,  
Anno M. DC. IV.



Bonngarsis

✓

ans Pestogates

ORATIONES DVAE

A PROBUS INVENTIBVS. NO.

DEI. TITULI. AMPLI. ET. VARI.

DEI. SENATUS. ROMANUS. HABITUS.

CLAVS. BONNARSIS. PISTORIENSIS. IN. TITULO.

IN. TITULO. SENATUS. ROMANUS.

IN. TITULO.

IN. TITULO. SENATUS. ROMANUS.

IN. TITULO.

IN. TITULO.

IN. TITULO. SENATUS. ROMANUS.

IN. TITULO. SENATUS. ROMANUS.

IN. TITULO. SENATUS. ROMANUS.

IN. TITULO.

IN. TITULO. SENATUS. ROMANUS.

IN. TITULO. SENATUS. ROMANUS.



IN. TITULO.

IN. TITULO. SENATUS. ROMANUS.

IN. TITULO.



ILLVSTRI AC GENERO  
SO DOMINO,

DN. VLADISLAVO;

ILLVSTRIS, GENEROSI  
ET MAGNIFICI DOMINI,

DOMINI NICOLAI,  
COMITIS AB OSTROG,

Hæredis in Krillovv &c. optimæ & generosissimæ  
indolis FILIO,

Domino suo gratioso, S.



QVEM AD MODVM VEGETIVS COMES CON-  
stantinopolitanus, Libro primo de re militari, ex usu publicæ salu-  
tis fore iudicat, si rudes tyrones & Martis alumni, qui fortes aliquan-  
do & bellicosæ milites videri debeant, priusquam ad iusta adnutan-  
tur prælia, & corporibus & animis præstantissimi deligantur, deli-  
cti varijs studijs & rebus quam sepius exercantur: Ita maxi-  
mè quoque referre, & multum cum privatis, tum publicis rebus con-  
ducere existimandum est, si Palladis alumni, curis ingentibus, sollicitudine graui, singan-  
tur formentur, exerceantur, ad omnia vite genera, ad omnia Reipublicæ tempora accom-  
modati atq; appositæ. Hanc ob causam, varia exercitationum genera in scholas bene con-  
stitutas introducta, & constanter conseruata semper fuerunt: inter quæ Disputationes  
& Declamationes primum locum sibi vendicare non immerito videntur. Ex ijs etenim  
multa & propè infinita proficiuntur commoda: Ingenium quod mortalibus exiguum est,  
cum acumen ium perspicacius reddunt: Memoriam, quæ similiter infirma nobis & fragilis  
est, multum iuuam: Linguam ad prof. renda animi sensa promptiorem efficiunt, Fidentiam  
repulsa Tunc duorumque stue stupore, quo plerumq; iuuenes confunduntur, parium, & timor-  
em stuporis ægæx&typ, memoriæ & rerum agenda rum hostem, ex animis discendum eij-  
ciant; Est verò inter doctissimos de Disputationibus & Declamationibus, vire  
nobiliores & magis necessariæ essent. sepenumero disputatum fuit: tamen utrasq; arct si-  
mo vinculo coniunctas non seiungendas sed cultura diligenti & studiosè excolendas atq; ex-  
poliendas esse certum est, cum non minor ratio sanæ orationis, quam sanæ mentis habenda sit.

(\*) 2

Quare,



Quare, quemadmodum & agricola vituperandus est, qui cum liceret ei fundum uniuersum excolere, saltu quosdam steriles arat, partem verò quampiam eius fundi pinguisimam atq; uberrimam relinquit incultam: Sic quoq; reprehendendus est is, qui cum omnia studiorum munera odimplere possit, cetera quamuis leuiora accuratissime obit, Disputandi & Declamandi exercitationes, ex quibus fructus tam uberrimi colliguntur, vel aspernatur & negligit, vel Eloquentiam à Philosophia, Orationem à Ratione, corpus ab anima se iungere non dubitat. Hinc magnum semper harum exercitationum nomen fuit in Officiis Sapiencie: Hic Stoici in suis dumetis; hic in Academia Plato, hic in Lyceo Aristoteles audientes suos exercuerunt: Hic Demosthenes ut ad mare fluctus declamaret; Hic Cicero ut apud Demetrium Syrium Athenis, apud Menippum Stratonicensem in Asia sese exerceat adductus fuit; Hic insuper fortis ille Quartæ Monarchiæ anresignanus IULIVS Caesar incitatus, Lugduni aram extruxit, ad quam Græcæ simul atq; Latine facundiæ certamina fierent, ita quidem, ut victor amplissimis muneribus afficeretur, victus vel lingua sua Accusationis formulam deleteret, vel ter in Arari demergeretur. Hinc, exemplum rorum, præclara illa differendi declamandiq; consuetudo ad nostram vsq; memoriam notissimum in celeberrimis Academicis, sed etiam in florantibus Gymnasis constanter conseruatum fuit: Hinc etiam Magistratus Urbis nostræ tantorum Virorum vestigia sublegendo, non passus est, eiusmodi exercitationum genera, à Scholæ suæ alumnis desiderari. Constituto namq; Ludo & restaurato, ad Decem Classes, ante decennium, secundis auspicijs, Nouam Curiam adiunxit, in qua principia Theologiæ solidiora, cum Lingua Hebræa; item Elementa Ciuiliæ vitæ, & Physiæ, cum ceteris Philosophiæ partibus proponi & tradi, & præter quotidiana styli utriusq; mensura etiam Disputationum atq; Declamationum exercitia haberi & celebrari Legum Scholasticarum sanctione voluit quæ etiam hæc nus cum summa utilitate discipulorum habita & celebrata fuerunt, & in posterum, æterno DEO concedente nobis halcyonia, habebuntur & celebrabuntur.

Ceterum, quia nobis, qui Seminario Ecclesiæ & Reipublicæ præfati sumus, incumbit præterea, ut demus operam sedulo, ut olim in omnibus functionibus idonei homines inueiantur, præsertim verò, ut futurus Politicus, honorum negotiorumq; ciuilium appetens, ad omnem excellentiam cursum facere expeditiorem possit; siquidem à teneris assuescere multum est: idcirco eiusmodi etiam prædicationes & actiones Ciuiles instituiamus interdum, quæ administranda Reipublicæ aliquam imaginem præ se ferunt, eligentes ex discipulis qui imaginem Censorum, iudicum, Assessorum & aliorum representent, quorum in conspectu Actor & Reus causam dicere & defendere teneatur.

Eiusmodi Forensium Actionum exercitium cum & mihi ratione Officij mei, superiori anno instituendum & celebrandum fuisset, incidi fortè in Orationes Contrarias BONAGARSI, suæ ætatis Oratoris Clarissimi quas cum eiusmodi esse animaduertissem, quæ ingenium quemq; ad veræ Nobilitatis suæ Virtutis studium excitare & inflammare queant, dignas eas, quæ discipulis Latine lingue communicarentur, iudicavi. Quare, exercendi iuuentutis gratia, rei à BONAGARSO confictæ veritatis aliquam formam induere, & dictas Orationes Actione Ciuili, interpellationibus Consulibus, Senatoribusq;



forumq; diuersis sententijs vestire, eaq; ad vsum fori communem accommodare conatus sui.  
 Quam meam opellam qualemq; cum bonis & candidis compluribus, omnia candidè inter  
 presentibus, gratam, Eloquentiæ verò studiois vtilem fore intelligerem, multiq; præse-  
 rim verò rei nostræ literariæ fautores & Patroni ad eius Actus publicam editionem me  
 hortarentur, passus fui eum ad commodum qualemq; iuventutis formæ typographicis excu-  
 sum in publicam prodire, certò statuens, eos non minus benè de Republica literaria mere-  
 ri, qui bonorum authorum lucubrationes ab interitu vindicant, è tenebris in lucem profen-  
 runt, quàm qui noua interdum, hominibus iudicio valentibus minùs grata & fructuosa, tan-  
 tum vt sibiipsis placeant, in scenam producere non veremur.

Quod verò sub augusti nominis tui auspicio, Illustris & Generose Comes, hunc  
 Actum apparere, atq; lucem aspicere voluerim, causæ me impulit grauior. Vt  
 enim triumphalibus columnis, ceteriq; id genus operibus, maioris splendoris dignitatq; gra-  
 tia, Diui alicuius aut Herodæ imponi imago consuevit; sic ipse nunc mihi faciendum putau-  
 i, vt Actui huic publico Illustris Generos: Tuæ nomen præfigerem, atq; ita præfulgentis nom-  
 inis tui honoratissimi lamine splendorem lucemq; adderem. Accedit ad hoc, quòd nusquam  
 conuenientiùs, quàm apud Gen. Tuam Nobilitatis sermo haberi potest, quæ ipsa omni Nobili-  
 tatis dignitate condecorata & exornata est. Nam si splendorem familiæ Generositatis Tuæ  
 considero, an non ea longa semper serie Regno huic viros præclarissimos suppeditauit? Et  
 vt nihil dicam de maioribus Generos: Tuæ, qui rebus gestis maximis & virtutibus summis  
 in sublime dignitatis fastigium in Regno hoc ascenderunt; Nec etiam quidquam commemorem  
 de Auo paterno STANISLAO Castellano Miedzirecens, herodæ clarissimo præstan-  
 tissimoz; nihil etiam attingam de Aua paterna, IOANNIS de TENCZIN PA-  
 LATINI Sendomiriensis filia, re & nomine SOPHIA, quæ pietate, grauitate &  
 summa in rebus agendis dexteritate prædita, corona domus suæ splendidissima, dum vixit, exo-  
 titit: Cui, quæso, vt silentio multa iam inuoluam, cui inquam, Illustris & Generosus, fortis  
 & magnanimus Heros Dominus Parens Generos: Tuæ non notus? qui quod in Viro verè  
 Politico requiritur, foris armis corruscantibus ac fulgibus (id quod Moldauica superior-  
 ribus annis & nuper Livonica demonstrauit expeditione) domi verò consilio prudenti-  
 pollat plurimum: Cuius Virtutes verè heroicas, & in Ecclesiam, Scholas, patriamq; merita  
 eximia, quæ grata posteritas suo tempore debito præmio celebrabit, hic præterire me opor-  
 tet, ne cum adhuc mortali fruatur vita quam ipsius Illustri Generositati diuturnam floren-  
 tissimamq; precor, in assentionis crimen incurram.

Quoniam ergo Generositatem Tuam ad Virtutem & res magnas inuitant domestica  
 familia laudatissima exempla, age igitur Illustris & Generose Comes fac vt maioribus tu-  
 is præstanti optimarum Artium cognitione, assiduè eximiarum Virtutum exercitijs præ-  
 clarissimis ex diligenti Artium & Virtutum studio partem laudibus, non modò par sed &  
 superior atq; excellentior olim euadas. Pulchrum namq; est, Illustribus & Generosis na-  
 ci & prodire parentibus: pulchrius Illustribus & generosis eos adæquare virtutibus: multò  
 longè pulcherrimum & quid in diuinum quidpiam, eos anteire & præcellere. Quod  
 sanè & Generos: Tuæ facile perfecerit, si, vt præclare cepit, in ijs Artibus, sine omni ces-  
 satione



fatione elaborandum sibi statuerit, quibus ad veras illas laudes ascenditur; Si porro in Virtutibus illis processerit, quæ ex literarum cognitione cognita, sunt optima, omnis laudis, gloriæ, immortalitatis omnique felicitatis promotrices. Quod Generos: Tuam scaturam nemo ambigit, tum ob æquicquam & generosissimam indolem, qua præ reliquis donorum author DE V Seandem nobilitavit, tum quod sub grauissimis & rare eruditionis Precceptoribus, publicè in Schola, quam Illustris & Magnificus parens Generositatis Tuae munificentia & liberalitate singulari Krillouia aperuit, utpote Reuerendo & Clarissimo Viro BALTHASARE CROSNEVICIO Lithuano, Philosophiæ & Theologiæ Doctore, priuatim verò sub nobili, vera pietate & doctrina Politica præstanti Domino ABRAHAMO VVYSOCIO, aurea pietatis, literarum, atque etiam officiorum quotidiana Generos: Tua habeat exercitia. Verum de his à me verba pluribus impresentiarum facienda non sunt.

Quod reliquum est, peto cum debita reuerentia à Generositatē Tuae, ut id, quod à me ad editionem hanc Orationum BONAGARS I collatum est, gratum acceptumque habere, & hanc meam προσφώνημα, siue ut hodie loquuntur, dedicationem tenuem boni consulere velit. DEVS TER OPT: MAX: Dominus cæli & terræ, Illustrē & Magnificū Parentem tuum, cum Illustri ac nobilissima coniuge CATHARINA, ex Illustri & Generosissima familia FABIANI à CEMA, Palatini Mariæburgensis, & Capitanei Stumensis &c filia, vna cum Generositatē Tuae diu multumque florentem & incolumem conseruare ac tueri dignetur, ad nominis sui gloriam, ad Regni huius mælyti decus & orna-mentum, ad generis & stirpis G T. felicissimam propagationem & amplitudinem. Data Thorunij Borussiae Dominica Reti electi in nomine IESV. Anno reparatæ salutis humanæ, M. DC. IV.

Tuæ Illustri Generositati

addictiss.

MATTHIAS NIZOLIVS Thorun.  
Gymnasij ibidem ProRector

PRO



# PROGRAMMA.

## *Rektor & Visitatores Gymnasij Thoruniensis*

LECTORIBVS BENEVOLIS S.



Discendi rationem sine exercitationibus neque consistere, neq; feliciter procedere, nemini non persuasum esse debet: ut enim in reliquis vite generibus omnes artes usu & experiundo parantur: Ita & in nostro literario vitæ genere verissimum est illud Anaxagoræ; manum esse Sapientiæ auctorem. Exercitatio etenim naturam confirmat, doctrinæ ac præceptorum conformationem perficit, habitum deniq; gignit & procreat. Varijs igitur modis ingeniorum agri & studia juvenilia exercenda sunt, ut vberimum & expectatum fructum proferant; Exemplo sit Marius, qui, ut author est Plutarchus, & senex, & multa corporis mole gravis, vir tanta belli gloria, per pacem tamen, ut filiū togatis studijs & bellicis artibus & actibus institueret, quotidie in certum locum cum adolescentibus venire, eosdemq; miris modis exercere in ipso ætatis ingravescentis flexu non erubescbat; Intellexit nimirum vir prudentissimus, usum artifices efficere; eruditionem verò ipsam perficere & consummare. Ex omnibus verò exercitationum Scholasticarum generibus, quodnam juventuti Scholasticæ esset accommodatius, utilius & fructuosius, variæ semper fuerunt & sunt doctorum opinioniones; multi disputationibus, nonnulli declamationibus primum assignant locum, alij verò ludos scenicos siue actiones comœdiarum & tragœdiarum summis ad  
cœlum



coelum usq; laudibus efferunt. Et si verò placidæ sententiarum & argumentorum collationes, illustrandæ & explicandæ veritatis causâ institutæ, innumerabiles studijs discentium vtilitates adferunt, declamandi verò ratio, vt Quintilianus libro 2. Orat. Instit. Cap: II inquit, ita est celebrata, vt plerisq; videatur ad formandam Eloquentiam vel sola sufficere: Comœdiarum deniq; actiones ab omni obscœnitate alienæ, nec ad vllam scurrilitatem comparatæ ad longissimos discipulorum in literis & moribus progressus spectare videtur: Tamen si quod res est, dicere voluerimus, neq; dici neque credi satis potest, quantus vtilitatum cumulus in Rempub. conferatur ab illis præceptoribus, qui, cum dictis exercitijs imbecillam ætatem, à primis adolescentiæ annis, ad forum vsumq; vitæ civilis cōdocefaciunt, & speciem quandam Curiæ Romanæ in Scholis suis exprimunt, ex discipulis eligentes, qui imaginem Consulum, Senatorum, Censorum, Iudicum, Assessorum, & aliorum repræsentent, quorum in confesso actor & reus siue partes contententes causam dicere & defendere tenentur. Prodest ea ratio ad iudicium, ad mores, ad pronunciationem, ad fidenciam, ad vsum totius vitæ & alia multa. Eiusmodi siquidem Scholasticæ forenses actiones, formant & limant Adolescentum iudicia, ingeniorum vim & celeritatem acuunt, memoriam promptiorem atq; firmiorem reddunt. Moribus insuper prodest, assuefieri ad confusionem animi discutiendam, ad verecundiam & modestiam in regendis gestibus, ad comitatem & affabilitatem & cætera humanitatis officia; Quinimò eiusmodi Scholastica



lastica exercitia, in quibus umbra quadam forensium  
 causarum & actionum proponuntur, adolescentium (eo-  
 rum verò potissimum, qui in oculis hominum aliquando  
 habitare cogitant) linguam expoliunt, hæsitantiam ei-  
 usdem corrigunt, facundiam extemporalem alunt, for-  
 mant pronunciationem in moderanda voce, vultu, & vi-  
 tandis gestibus ineptis; *Δυσωπία* insuper sive stuporem  
 temperant & omnino tollunt: ad summam, ad usum to-  
 tius vitæ conducunt, & ut in omnibus olim functionibus,  
 præsertim in civilibus administrationibus idonei homi-  
 nes inveniatur efficiunt; à teneris enim cōfuescere multū  
 est, & ut ille inquit *ἀρχὴ πολιτείας νέων τροφή* Fundamentum  
 Reipublicæ honestæ est honesta juventutis exercitatio.  
 Quæ cum ita se habeant, & isto exercitiū genere iudicium  
 formari, memoriam egregiè excoli linguæ vitia emenda-  
 ri, dicendi quandam libertatem & fiduciam acquiri, &  
 ingenuos quosq; ad publicas functiones & ad Virtutis  
 studium inflammari, ex superioribus perspicuum sit, re-  
 ctiùs certè studiosæ juventuti ex conceduntur actiones,  
 quæ administrandæ Reipub. aliquam imaginem præse-  
 ferunt, quàm ex, quæ meretricum blanditijs, servorum  
 dolis, adolescentum luxu perstrepunt. Optabile igitur  
 esset, si quid vota valerent, ut in omnibus ludis literarijs  
 id genus exercitia vigerent, sanè florentiores videre ple-  
 rosq; liceret; utiq; quæ nonnullis Scholis, potissimum  
 verò ARGENTORATENSIVM Academiæ, præter al-  
 lia præclara instituta nō minimā celebritatē pepererunt.  
 Quare ne & nos, hac in parte, Gymnasio nostro defuisse  
 videamur, ad intermissam hætenus forensium actionum

A

exercitia



exercitationem redibimus. Quia autem sæpenumero  
 apud plurimos de Nobilitate disputatum fuit: multi  
 enim eam in felicitate generis, nonnulli in affluentia di-  
 vitiarum, plerique in gloria virtutis sitā esse arbitrati sunt;  
 Et verò de vtili hac & jucunda Nobilitatis controversia  
 duas orationes elegantes scripsit, & in festivū declaman-  
 di genus traduxit BONAGARSVS PISTORIENSIS  
 Iurisperitus & suæ ætatis Orator Clarissimus; Idcirco  
 MATTHIAS NIZOLIVS Gymnasij nostri ProRector  
 exercendæ juventutis Scholasticæ gratia, rei à  
 Bonagarso confictæ veritatis aliquam formam induere,  
 & dictas duas Orationes actione Civili, interpellationi-  
 bus Consulū Senatorumq; diversis orationibus ac sen-  
 tentiis vestire, easq; ad vsum fori cōmunem accommo-  
 dare conatus fuit. Quia verò necessarium est, vt adole-  
 scentes, vt ad alia exercitiorum genera, ita etiam ad Ora-  
 toria, reciproca quadam contentione & æmulatione in-  
 vitentur & incitētur, idcirco hoc considerantes, hac vice  
 peregrinos sive extraneos ad hanc actionem forensē  
 adhibebimus, breui in simili Exercitationum genere no-  
 strates & indigenas adhibebimus; Sic enim speramus gliscet  
 inter discētes illa, quam laudat Hesiodus, contentio, &  
 flagrantibus facibus adolescentum animos & ad discen-  
 dum & ad dicendū invitabit; Proinde post prælationem,  
 quam habiturus est GREGORIUS CAMMERMAN-  
 NVS Gedanensis hæ personæ intervenient,

I.

IOHANNES ALBERTVS PERBAND.  
 FABIANVS BORCK.

II.

IOHANNES BRANDT.  
 ALBERTVS PERBAND.

} Nobiles Borussii  
 } Romanorum Cō-  
 } sulum personas  
 } repræsentabunt,



SIMON CLVGIVS DANTISCANVS.  
 MATTHAEVS VECHNERVS FRAVNSTAD. *Silesius.*  
 IOHANNES HINTZIVS REGIOMONTANVS.  
 IOHANNES CZESSELIUS MARIAEBVRGENSIS.  
 GEORGIVS BVTNERVS NEIDENBVRGENSIS *Borussus.*  
 CHRISTOPHORVS LEVCORHODIVS REGIOMON:  
 IACOBVS GERMAN GRVDENTINVS.  
 HERMANNVS BENCKENDORFF MARIAEBVR:  
 DAVID SAVRIVS SVERINENSIS POLONVS.  
 IOHANNES CHRISTOPORSKY NOBILIS POLONVS.  
 DANIEL BRESLERVS DIRSCHOVIENSIS.  
 IOHANNES BRVCKMANNVS GEDANENSIS, SENa-  
 torum & assessorum vices gerent, & auditis partibus in  
 consilium adhibiti, quid statuendum sit, suffragijs suis  
 declarabunt.

### III.

IOHANNES STOLTZIVS FRAVNSTADENSIS SILE-  
 sius, scribae sive Actuarii officio fungetur.

### IV.

DANIEL TIDICAEVS }  
 DAVID SCHVMANNVS } GEDANENSES, IN SE-  
 natorio confessu de Nobilitate contendēt quorum alter  
 nobilitatem suam ex maiorum generis prosapia proba-  
 bit, eamq; ex affluentia divitiarum confirmabit; alter  
 verò oratione contraria refutatis Antagonistae rationi-  
 bus, Verā Nobilitatem in gloria propriae virtutis consi-  
 stere, argumentis evidentissimis demonstrabit. Quos in  
 utili cum primis & iucundo argumento haud grauātē vt  
 audiant benevoli Scholae nostrae Fautores & Patroni hu-  
 maniter & officiosè rogamus, nostrae verò iurisdictioni  
 subiectos, vt frequentes dicto loco & hora conveniant  
 & ad similes quoq; exercitationes in posterum se prapa-  
 rent, monemus & hortamur. PP. XVI. Decemb.  
 Anno M. DC. III.





Actus hic à Psalmo 84: Quàm dilecta sunt tabernacula &c. Must:is numeris  
esto vocum à Iacobo Gallo Musico suauissimo incluso, inchoabitur.

## PERIOCHASIVE ARGV- MENTVM.



Etate illa florentissima, qua inclutum Romanum Imperium  
adoleuit, claruit Senatorij Ordinis vir quidam FV L  
GENTIVS FELIX, amplissimis opibus, honestate,  
amicitijs ciuium, gratia fortunæq; omnibus l:upletissi-  
mus: qui ex uxore CLAVDIA gentiam eximie  
pulchritudinis LVCRETIAM habuit, unicam  
spem honestæ senectutis suæ. Nam supra præstantis formæ  
pulchritudinem, quæ omnes Romanas Virgines antecellebat: tanta in ea erat  
vitæ moderatio, tanta vñ ingenij, tanta literarum eruditio, tanta morum honestas,  
et illi nihil deesse videretur quod composito cuiusq; animo fas sit optare;

Huius itaq; ardenti amore saucij, inter quamplures reliquos Romanæ iu-  
uentutis, vehementius incal'escebant adolescentes duo, quibus par forma & æ-  
tas erat, dispares verò fortunæ & mores. Alter enim, qui PVP. CORNE-  
LIVS appellabatur, illustri ex familia Corneliorum orijs, omnibus verè for-  
tuna bonis affluebat. Nam supra generis claritudinem ingentes ipsi opes erant,  
atq; his consentaneæ semper amicitie, clientela, familia; huic venandi, cantandi,  
ludendi, vniuersum penè studium erat: Alter verò CAIVS FLAMINIVS  
remissiore quidem genere, honestis tamen parentibus originem traxerat: Opes  
autem modicas, domesticam frugalitatem, & ornatum rerum familiarium medio-  
criter habebat: huic licet fortunæ humiliores viderentur, nihil tamen remissiùs  
agebat, quin animo floreret claro atq; illustri. Nam in officijs amicorum &  
Patriæ curiosissimus erat: bello, vbi opus videretur, strenuus: literarum verò  
solertissimus, ita vt neq; arma studijs, neq; armis studia deessent. vitæ verò mo-  
deratione, prudentia, atq; facundia pollebat, supra quàm in adolescente credibile  
videretur; Quibus egregijs virtutibus Romæ clarus pollensq; habebatur. Hi  
cùm



cum una simul conuenissent, ut alter ei, cui Virgo sponderetur, cederet pariter:  
**FVLGENTIVM FELICEM** aduenit, a quo admodum comiter susce-  
 pti sunt: Filiam tum **LVCRETIAM** uterq; uxorem expetit: Prudentior  
 senex, ubi illum grandem iam & nubilem videt filie adolescentium causam ex-  
 ponit: & cum eius mores atq; ingenium animaduerneret, alterum ex his illam pe-  
 tere iubet. Virgo primum pro honestate ac pudicitia reluctans, cum deinde  
 pater diligentius imperaret, paulisper se tacitam continuit, deniq; ad Genitorem  
 conuersa, Nobiliorem (inquit) ex his tibi generum facio, atq; hic mihi Sponsus in-  
 commutabilis electus sit. Quamobrem orta inter adolescentes controuersa fu-  
 it, uter eorum nobilior esset: Quoniam verò rei nouitas miranda videbatur,  
 magna cum populi frequentia contentio ad Senatum defertur, ubi de Nobilitate  
 habitæ sunt Orationes. Tandem verò per Senatusconsultum decretum fu-  
 it, ne demceps ignauus, quantumvis genere, & opibus turgidus, pro nobili habe-  
 retur sed Nobilitas non aliunde, quam ex virtutibus estimaretur. Hanc No-  
 bilitatis controuersiam, quia & pulcherrima, & disputatione dignissima est, ut  
 benigne cognoscatis, & eam quam alijs hactenus cum attentionem tum beneuo-  
 lentiam tribuistis: nobis quoq; eloquentia tyronibus concedatis, Vos, Auditores  
 omnium ordinum honoratissimi, rogamus, neq; statuatis, neq; in primis,  
 neq; in secundis consistere eos unquam potuisse, qui a perfectio-  
 ne, non ab infantia & mediocritate initium esse  
 faciendum existimârunt.

DIXI.



A 3

PRÆ.



# P R Æ F A T I O

D. IVNII SYLLANICOS. AD RE-  
LIQVOS SENATORII ORDINIS VIROS.

 Voniam P. C. Collegæ optatissimi, status Reipub. nostræ Dei beneficio pacatior redditus est, non modò foris à piratarum motibus, & à Mithridatico bello, cui Pompeius, Magni nomine meritò appellandus, feliciter finè imposuit: Verùm etiam ab intestinis seditionibus domi. Cicero enim, meus in consulatu antecessor, furentē Catilinæ furorē, & illam facem Reipub. imminentem deleuit, oppressit, extinxit, non armis aut ullo telorum genere, sed prudentia & consilio. Idcirco tranquilla iam & maximè idonea tempora restaurandis morum ruinis habemus. Si verò quidquam est, quod in nostra Reipub. post multam licentiam emendatione indiget, hoc in primis dispicere necesse puto, quæ tandem Vera sit Nobilitas. Eius enim idea longo abusu ita in civium mentibus oblitterata est, ut iam pridem suam amise-



amiserit appellationem. Nam pro nobilitate ferocia, pro generositate immanitas, pro alacritate ignavia ferè in precio vulgò habetur. Vt autem hoc maiori & meliori occasione fiat, hesternæ die delata est ad me contentio, quã vt audiatis, volo. **FVLGENTIVS** vir, vt scitis, in primaria tam virtutum quàm opum existimatione constitutus, filiã domi habet nubilem **LVCRETIAM**, forma & moribus iuxta commendabilem; Hanc duo ambiunt adolescentes. **P. CORNELIVS & FLAMINIVS**: de quorum genere, vita & moribus tùm audietis, cum censueritis hanc controuersiam in Senatu dirimendam esse. Pater filiæ nubendi optionem offert, ipsa, id quod pudicã & morigeram puellam decet, vix à parente coacta, nobiliorem elegit: Adollescẽtes intellecto puellæ delectu hesternæ die me conuenerũt, & rogarunt vnicè, vt à Vobis **P. C.** impetrarem, vt controuersiam illam, quæ inter ipsos exorta est de Nobilitate, vter videlicet eorum nobilior esset, cognosceremus, eamq; cognitã nostra sententia dirimeremus. Quæ controuersia quoniam Nobilitatis quæstionem, quæ à plarisq; hodie non quidem immerito



merito controuertitur, contineat: Idcirco horum  
adolescentum petitione adductus, hanc horā ipsis  
dixi, quam si idoneā Vobis impetrauerint, quem-  
admodum se impetraturos omnino sperant, suam  
coram nobis causam agere ipsis liceat. Quamob-  
rem, quid vobis hac in parte videatur, & quid  
feri oporteat, statuite P. C. & dandumne illis  
hoc sit necne, decernitote.

L. LICINIUS MVRÆNA COS.

vantum nobiliores sunt causæ Status, tantum  
plerumque argutiores & difficiliorese esse solent.  
Pulchra namque difficilia egregie dicebat Plato: Ardua  
ergo & difficilis est & hæc controuersia, lubrica eiusdem  
probatio, difficilis veræ & fictæ Nobilitatis discretio:  
Nō enim hīc de tribus, quod dicitur, capellis, nō de um-  
bra asini, non de vnius oppiduli aut agri possessione, sed  
de gloria, de stemate, de nobilitate agitur, quibus augen-  
dis, conseruandis, & ad æternam memoriam propagandis,  
quisquis fuerit sui suæque familiæ & generis amanti-  
ssimus, quam à natura habet indolem, generositatem, omnes de-  
nique corporis animique vires conferat, necesse est, collatas  
impendat, impensas etiam perdat, vt suo ipse manibus  
gratus super sit cineri. Huius generis cum etiam sit nunc  
proposita. Quæstio, censeo maxime eandem esse æstima-  
mandam.

M PV



M. PVPIVS PISO FRVGI CAL,

PHVRNIANVS.

**N**eq; ego à modò allata sententia dissentire queo.  
Est sanè anceps & difficilima Nobilitatis proba-  
tio; Agnouerunt hoc præstantissima Iurisprudentiæ lu-  
mina & columina, quemadmodum hoc ex Legibus no-  
stris videre est. Non enim directè cadit in sensum Nobi-  
litas, sed mediante arte, siue, vt loquuntur Iurisconsulti,  
iudicio & indicio intellectus probatur. Quoties igitur  
inquiunt Leges nostræ, quoties, inquam, quæritur, Ge-  
nus vel gentem quis haberet necne, eum probare oportet;  
Nec sine ratione; Receptum enim est hoc inter  
nostros, vt qui sibi Generis nobilitatem propria autho-  
ritate falsò assumunt, non modò falsi, sed etiam maie-  
statis crimine teneantur. Locum igitur petitioni ho-  
rum adolescentum, de Nobilitate contendere cupientis-  
um, omninò dandum esse censeo.

*M. Valerius Messala Niger.*

**N**on existimo, Viri prudentissimi, Collegæ opta-  
tissimi, necessarium esse, vt de Nobilitate in hoc  
confessu nobilissimo contendant ij, quorum maiores  
nobilissimos fuisse certum est; Nullum enim vestrum  
esse arbitror, qui ignoret, quo loco & ordine tam Corne-  
liorum quàm Flaminiorum familia post hominum me-  
moriam habita fuerit; Quin imò vterq; adolescens à  
pueritià vsq; ad virilem aetatem, famâ publica creditus,  
habitus



habitus & honoratus est nobilis. Quae fama emendicata non fuit, cum ex singulorum imò omnium nostrorum ciuium fide coalescat. Constitutum est autem omnium Iurisconsultorum calculo, famam publicam ad Nobilitatem probandā sufficere. Verum enim verò, quoniam & adolescentes suprā nominati Nobilitatem suam in dubium vocare uidentur, & volentibus teste Aristotele, non fit iniuria: Idcirco, ut & familia & Nobilitas eorum magis illucescat, pace mea hoc in loco compareant, & nobilitatem suam confirment, modò ambagibus longis omissis breuiter id faciant, quò ad alia & grauiora nobis redire liceat negotia.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

*SI quis prater ea ex toto Ordine Senatorio quid habet, cur interpellationem hac in relatione faciat, clara voce. & quidem nulla interposita mora id agat.*

*Tacendo consensum, & nuturem, comprobant omnes. Quod ad me attinet ne ego à Collegarum meorum alienus sum sententia. Certum est, adolescentum horum alterum generosa Corneliorum prosapia ortum, alterum nobili loco & excelso animo natum esse. Iam verò satis constat, qui auos, proauos & ascendentes, & patrem habuerint*



buerint nobiles, hos omnino splendidos nobilesq;  
esse, haberi, & vocari debere, & generis splendo-  
rem vel claritatem retinere: Accedunt insuper  
illorum auita insignia, quæ ad nobilitatē gentemq;  
quamcunq; dignoscendā à maioribus nostris pru-  
denter sunt introducta. His & similibus iam di-  
ctis maximis rerum commoti argumentis, hos qui-  
dem adolescentes ex generis antiquitate & ex  
opum magnificentia nobiles esse, scimus vniuersi;  
Verum quia hæc Nobilitas sæpissimè tantum in  
astragalis & in falsa fumosarum generis imaginū  
ostentatione, non verò in personis ipsorum conspi-  
cua est: Agite Collegæ prudentissimi, vter eorum  
nobilior sit, dispiciamus, vt hanc litem non vt  
thesin sed vt hypothésin publico Senatus Consul-  
to decidamus, ne deinceps quisquam vllò se fictæ  
nobilitatis vel generositatis titulo, licet nulla re  
bonā dignus pro nobili venditet.

Tu igitur præco duos illos adolescentes ac-  
cersito, Senatumq; Rom: iisdem potestatem con-  
cedere, breuiter causam proponendi, indicato.

Præco.

Mandatum exequar.

Interca



Præco.

Ingredimini adoleſcentes, Senatus de veſtra cauſa cogniturus, vobis copiam dicendi concedet.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

 *Uod heſterna à me petiſtis die, adoleſcentes, vt ampliſſimi Ordinis Senatorij pace atq; venià hanc controuerſià de Nobilitate, quam habetis, in hoc conſeſſu & iudicio vobis proponere liceret: Hoc ipſam ampliſſimo Senatu expoſui, qui hanc contentionem veſtram, quia honeſta, & aqua & Reipub. noſtræ commoda eſt, eandem non modò probat, verùm etiam vobis dicendi facit copiam & poteſtatem, eà tamen lege, vt ſi iuolis & non neceſſarijs omiſſis cauſſam veſtram, excluſis cminò animi perturbationibus, proponatis & ad propoſita directè reſpondeatis ſicq; cogitetis, etiam plura & grauiora nobis incumbere negotia, quæ per vos negligere Reipub ſalus minimè patiatur.*

Tu ergo CORNELI cauſſam tuam, abſq; præiudicio tamen alterius partis, primò propone.

ORA-



ORATIO  
P. CORNELII, BONAGAR-  
SO AVTORE.



I ex nobis LVCRETIA nobiliorem petit,  
quis vestrum est, P. C. qui non aperte in-  
telligat, ipsam Pub. Cornelio Scipioni, ex  
illustri Corneliorum sanguine genito, hu-  
iusmodi optionis gloriam obtulisse? Nemo enim dubi-  
tat, eam esse nobilitatem, quam ex illustrium maiorum  
origine accepimus: Illi enim posteris suis illam tan-  
quam hereditarium munus reliquerunt. Nam cum rebus  
clarissime gestis, disciplina, moribus, virtute, gloriaque  
illustrati in Republica fuerint, & clarissimum nomen  
adepti, summos honores maximosque magistratus con-  
secuti, profecto ipsi suis artibus, & Reipubl. muneribus  
nobiles facti sunt: quorum etiam nobilitatis recordatio-  
ne omnis eorum posteritas decorata est. Nam si ex  
sanguine, membris, ossibus atque visceribus nostris in lu-  
cem educimus liberos, quid aliud liberi dici possunt, nisi  
propriae nostri corporis partes? Necesse est igitur, pa-  
rentum gloriam in liberos tanquam in partes suas dis-  
fundi, ac pariter in liberis omnem deinceps posteritatem.  
Hinc parentum imagines in ipsis liberorum vultibus, tan-  
quam insitae ac ingentae, tanta quidem aliquando corporum  
similitudine compositae sunt, ut nihil penes dispar cen-  
seri possit; ita ut plerumque in illis parentes renati videan-

B

tur;



tur: Adhuc iuntur præterea nonnunquam mores liberorum similimi, & eadem penè ingenia, & compares vitæ cultus: Adhuc iuntur insuper educationes, continua domestica consuetudinis & assidua dictorum factorumq; cōuersatio, quibus assuefacti aliquādo exterorū etiam animi alliciuntur. Quibus profectò rationibus constat maximum robur cōsuetudinem ac naturam exercere in liberos, vehementerq; vim suam imprimere: ita vt plarumq; vitia maiorum posteritatem suam quodam quasi contagio deturpent, virtutes verò mirabili quodā splendore decorent, atq; causa ipsa illustrent. Magna mihi memorandi copia foret, nisi me longius distraheret, de his, qui ex claris parētibus nati, confestim omnium opinione ipsi quoq; clari nominati sunt. Quis enim honore patris Furij Camilli liberos nō clarissimos nobilissimosue iudicauerit? qui, cum patria in hostium manus incidisset, solus vr̄bis incendium extinxit, solus Reip. incolumitatem reparauit. Quis deinde reliquos, quos aut Fabij, aut Catones, aut Æmylij genuerunt, non maxime dicet gloriosissimos, quorum virtute populus Romanus tot maximis triumphis totiens aut defensus est, aut illustratus? Quis non iudicabit nostram Remp. eorum maxime liberis debere, qui totiens pro Rep. tot ingentibus periculis vitā fortunāq; omnes suas exposuerūt? Nam si eorum parentes bene de Rep. meriti sunt, maximos illi honores ingentemq; gloriam attribuerunt: utiq; ingrata foret patria, nisi illorum memoriam veluti celebratissimam



bratissimam coleret. Itaq; ne maiores nostri ingrati viderentur, publicis sanxerunt legibus, vt his, qui vel domi hostibus, vel foris exercitibus vel prouincijs subactis, victrici gloria in patriam redibant; post felices triumphos, quibus quasi Dñi immortales honore publico efferebantur, sculptæ imagines ponerentur pro rostris, & arcus deniq; triumphales construerentur; quibus eorum nomina sempiterna laude omnibus deinceps posteris paterent, & egregijs titulis fierent memorandissima. Deinde arcus illos atq; imagines meritò constitutis diebus Populus Romanus venerabatur. Quamobrem si iure simulacris illis tantus debebatur honor, quantus profectò eorū liberis debebitur? Ea enim sculptilia ficto quodam artificio signa virorum illustrium assimilabant; In his autem natura veras parentum imagines ostendit. Illi quidem inanimati lapides nunquam Reipub. prodesse possunt; horum verò vita, imitatione maiorum multas afferre vtilitates, multis prodesse ciuibus, multa etiā propulsare incommoda. Itaq; his merito dantur dignitates Tribunitiæ, consulatus, Imperia, Dictatura, & omnes Reip. magistratus. Et si quæ rerum humanarū est cura; postquam exutis corporibus hinc spiritus nobilissimi euolauerint, nihil profectò beatius, aut dulcius eorū animis afferri potest, quàm vt proprij liberi, eorum reliquiæ, recordatione maiorum, in maximis Reip. muneribus imperijsq; versentur. Videmus enim quòd si quàm habent voluptatem hi qui ex hac decedunt vita,



totā quidē ad liberos cōuersam habēt, nihil aliud sapiunt  
aut cogitant, nec sese mori arbitrantur, si quando illi su-  
perstitēs sunt, nec omninō sese ab humanitate derelictos,  
si quando in humanitate quandam adhuc sui viuentem  
portionem relinquunt. Quibus de rebus si tantus in libe-  
ros parentum amor, vt nullus maior in votis mortalium  
cogitari possit; si tanta est eorum spes in vita, in morte  
verō voluptas, atq; etiam post exitum vitæ recordatio,  
manifestum esse constat, maiorum meritis maximè eorū  
liberis patriam debere, illos præterea parentum gloriā  
venerari & colere, atq; eam gratitudinem exercere in  
posteris, quā non perfectè in parentes conferre potuit.  
Hoc igitur summum est nobilitatis genus, posse maio-  
rum suorum egregia facta dicere, posse sanguine censi,  
posse illorum beneficijs petere honores publicos, posse  
gloriā Reip. hæreditario quodam iure vindicare, posse  
insuper sese partes eorum vocare, & clarissimas in suis  
vultibus imagines ostendere; hanc utiq; nobilitatem vo-  
cant vniuersi. Quos enim alios nobiles appellat vul-  
gus, nisi quos nobilissimi parentes genuere? Deinde hi,  
qui literarum eruditi sunt, nonne nobiles dicunt & gene-  
rosos, quasi in genere nobilitates sint? Hanc præterea  
generis nobilitatem opum affluentia decorat, quibus fa-  
miliæ ac domestici apparatus floridiores sunt, exterior-  
esq; amicitia conseruantur frequentia celebriori; vtpo-  
te, cum amicis, cognatis, & exteris reliquis, qui bonis  
necessarijs carēt, quibusue aliorū præsidio est opus, suo  
quæuis



quæuis arbitrio facere, & benè facere possit. Summum  
est igitur fastigium nobilitatis liberalitas, quam frustra  
quis exercere nititur in alios, cuius necessitati sua satis  
non sunt. Necesse igitur fuerit, eum, qui volet esse li-  
beralis, fortunæ bonis affluere, siquidem liberalitate no-  
bilitas clarescit, fitq; plurimorum gratia & beneficentia  
præstantior alijs; Quæ si defuerint, pulcherrimus nobi-  
litis splendor obscuratur, & desinit quandoq; quis no-  
bilis videri, cùm sæpenumerò liberalis esse non possit.  
Quot enim doctissimi viri inopia rerum despecti vilesq;  
habiti sunt? quot excelsa & generosa ingenia necessitate  
rei familiaris penè inculta desertaq; interiøre? quorum  
virtus elucere non potuit, exposita semper ad quæstus  
vitæ necessarios. Itaq; maximum præstat adiumentum  
nobilitatis decori affluentia bonorum: qua quidem ex-  
positus ad virtutem animus effici præstantior, & virtus  
ipsa clarior videri possit. Quibus de rebus, si in genere  
atq; in opibus nobilitas est, nemo vestrûm dubitat, P. C.  
quin maximus huius Urbis splendat in me decor nobili-  
tatis. Quis enim maioribus meis fortius pro Rep. pu-  
gnauit? Quis maius in Orbe terrarum huic ditioni im-  
perium subegit? Quis celerius pericula casuum nostro-  
rum calamitatesq; nostras propulsauit? Alter enim de-  
uictis Asiæ regibus, exterisq; nationibus subactis, æter-  
num Asiatici nomen adeptus est; Alter verò flagrantem  
incendio & armis Italiam, ac post Cannensem pugnam  
nostris calamitatibus Urbem hancipsam ingemiscētem

B in

incredibili



Incredibili virtute liberauit; Atq; illud exitiale incendiū  
Barchinæ stirpis Hannibalem tot victoriæ exultantem,  
summa primū industria ab oris Italiæ reuocauit; De-  
niq; armis in patriam reuersum effudit atq; extinxit, vr-  
bemq; illam Carthaginem, nostri semper imperiū inui-  
ctissimam æulam non modò ab iniuria repressit, verū  
etiam huic Reip. fortiter subegit. Vnde postea meritò  
Africani nomen consecutus est, quod etiam Scipioni suo,  
qui postea Carthaginem ipsam iterū reluctantem de-  
leuit, quasi reliquit hæreditarium. Taceo reliquos, quo-  
rum virtute aut gloria ciuitas nostra totiens decorata est.  
Quorum si res clarissimè gestas memorare velim, equi-  
dem ignorarem exitum orationis, illasq; ideò consultus  
taceo, quoniam vobis sunt notæ. Quis enim hac in vrbe  
locus maiorum meorum triumphalibus titulis vacuus?  
quod templum est, quod in hac vrbe non ab illis iam di-  
reptis spolijs relucent? quæ delubra, quæ non illorū cre-  
bras & gloriosissimas imagines ostendant? quæ tanta &  
talìa sunt nobilitatis monumenta, quanta, & qualia cui-  
quam mortalium fas est optare. Est igitur propria no-  
bilitatis possessio relicta quidem à maioribus meis quasi  
res hæreditaria; sunt mihi ingenitæ eorū imagines; hosce  
illi gestabant habitus, hæc facies in eorum vultibus  
lucebat; ego illorum sanguinem, illorum membra, illo-  
rum viscera, atq; illorum formas in hac compagine cor-  
poris refero; ego ab illis ortus, & in eorum diu laribus  
enutritus atq; educatus, moribus ac natura insitam eo-  
rum



rum habeo nobilitatem. Si quid illis iure pro tot beneficijs patria debebat, mihi quoq; ipsorum portioni debeat necesse est; Si mihi honores, si imperia, si magistratus vltro exhibebuntur, erunt merito ipsorum mihi proprio quodam iure vendicata, nihilq; eorum animis gratius profecto celebrari potest. Deniq; ad ornatu nobilitatis opum ac diuitiaru tantus mihi est cumulus a maioribus meis relictus, quatu cuiusq; moderatus animus desiderare queat. Sunt mihi primu paterni Lares amplissimi & ornatissimi, vt ne regalibus quidem cedant aedificijs; Est mihi suburbanu in Tusculano amoenitate pulcherrimum: Sunt mihi in Campania agroru Colonia opulētissima, quibus non modò vnius domus familia, sed ingens penè exercitus nutriri posset; familiares verò apparatus, ac domestica supellectiles, ex auro & ebore, quæ ex frequētia ferè populus Romanus nouit. Est mihi igitur proculdubio tot feliciu rerum dignitas, illustre quoddam ac clarissimum decus nobilitatis, vt nec in hac vrbe (omniu pace dixerim) fortè maius inueniri possit. Sileat itaq; Flaminius, & in hoc certamine nobilitatis desinat petere Lucretia non modò me genere & opibus inferior, cuius penè originē nescimus: & vix ipse, vbi agellum habeat, agnouerit. Mea igitur iure nobilis Lucretia est, quæ me Flaminio nobiliore, ac suæ pulchritudinis meritū elegit. Tu verò sapiētissima dulcissimaq; Lucretia latere: non enim carior aut fortunatior spūs optari poterat, quiue tui amātor foret; aut cū quo felicius atate ageres. Deducā te in aplissima celsaq; atria nostræ domus: videbis



coniugales toros, quasi regias pulchritudines; feres ornamenta puellarum electissima, qualia tu ipsa optare poteris; nullus tibi erit popularium exercitationum labor; vitam dulci ocio produces, neque somnum quotidiana questus sollicitudo interturbabit; viues liberaliter, ut voles; iocari, cantare, psallere, venari, uniuersum tibi studium erit; habebis comites tuarum voluptatum virginis ac pedisequas, quae singulae votis tuis obtemperabunt; nullus tibi dies delectationum vacuus praeteribit; noctes simul felicissimas agemus. Quae omnia frustra Flaminius pro te, cum ipse illis careat, ex inopia sua spondere poterit; quinimo tibi cum illo futura esset vita omni miseria tristior. Nam pro regibus aedificiis, angustiores exhiberentur; pro magnificis apparatibus, suppellectiles populares; pro ocio, solitudines; pro quiete, labor; pro somno, vigiliae; nullus tibi dies liber a laboribus, immunisque quotidianarum operarum esset. Quis igitur dubitat, quod me Sponsum optare voluisti, cum nobiliorem elegeris? vix tua hac sapientissima electione apertius loqui poteras, quam si Cornelium appellasses. Cautem autem & desiderio, & pudicitiae tuae consuluisti. Nam cum pro puellari honestate puderet Cornelium dicere, me nobiliorem vocasti; Imprudentissimum est, aliud aestimare. Quis enim credat, te pro tranquillitate solitudinem, pro opulentia inopiam, pro felicitate miseriam desiderasse? Vos ergo, P. C. pro magnitudine Senatoriae dignitatis, aequam iam de his rebus sententiam dicite. Dixi.

D. Iunius



D IVNIVS SYLLANVS COS.

*Licet tibi quoq; FLAMINI, pace omnium  
nostra, tuam declarare generositatem.*

ORATIO

(C. FLAMINII, BONAGARSO  
AVTORE.

**M**agna mihi gratia est, P. C. cum de Nobilitate Oratione habiturus sim apud vos atq; animos vestros nobilissimos; Nusquam enim alibi tantum notata & exercitata Nobilitas est. Itaq; hoc mihi iucundissimum est, quod in tanta quiete animorum, in tanta rerum cognitione, in tanta Virtutis frequentia, nihil iniurium expectari, nihil obscurum dici, nihil denique inusitatum tractari potest. In hac vero controversia, P. C. nova quidem & insveta, vigilantius enitendum est, quam in privatis reliquis contentionibus. Non enim haec duorum modo civium, aut unius tantum diei, sed omnium penes gentium atq; seculorum quasi spectata & aeterna Lex sanctissimo quidem vestro Senatusconsulto promulgabitur. Videtis enim, praeter consuetudinem, maximam hodie in hoc iudicio totius Populi Romani expectationem; videtis omnium civium & exterorum ora in vos esse conversa; his non modo periucundum est videre utrius iam nostrum Lucretia esse debeat, sed etiam uter nobilior iudicandus sit. Vos igitur ac numen vestrum oro atq; obtestor, rei magnitudinem animadvertite;

C

Quantum



Quāquam in omni re p̄riter iustitia servāda sit, tum  
verò maximè considerāda, cum de summis ac de specta-  
tissimis rebus agitur. Mihi autem quāso, P. C. solito  
acrius oranti, aut pr̄ter consuetudinem meam Virtutē  
fortunasq; meas commemoranti, pro mansuetudine ac  
patientia vestra indulgete. Non enim v̄sitatū mihi offi-  
cium est, de me ipso pr̄dicare, aut cuiquā maledicere;  
hoc enim immoderati est animi, alterū impatientis; ve-  
rū ad id primū me cogit nouum hoc dicendi genus,  
deinde huius insolentia Cornelij, parum honestè de me  
antea loquentis, cui cū modestiam meam verbis laces-  
sere libuerit, hoc mihi æquē adjumentum dedit, vt fortia-  
ter mihi impudentiam ipsius contemnere liceat.

Audistis. P. C. nobilissimæ Lucretiæ sapientissimā  
optionem, vt nostrū nobiliorem elegerit. Ausus est  
itaq; Cornelius, vt se nobiliorem faceret, in Genere, atq;  
Opibus ascribere Nobilitatem; Propterea maiorum  
suorum fortia facta narravit; ingentesq; sibi opes à pa-  
rentibus suis relictas latè patefecit. Hæc tota Oratio e-  
ius tantum continuit; de se verò nihil commemorans,  
quoniam nihil commemoratu dignum videbat, vitam  
moresq; suos silentio pr̄terit. Ego verò non in alie-  
na gloria, aut in falsis fortunæ bonis, sed in propria ve-  
raq; animi virtute hominis nobilitatem esse existimo.  
Nihil .n. aliud est Nobilitas, nisi excellentia quædam,  
qua digniora indignioribus prævalent. Sicut igitur ho-  
mo animi præstantiā nobilior omnibus animantibus: ita  
quædam



quadā claritudine animi homo homini antecellit. Nam cum in optimis artibus diu exercitatus animus iustitia, pietate, constantia, magnanimitate, moderatione, prudentia claruerit; cum benè de Dñs immortalibus, de parentibus, de amicis, de cognatis, atq; de Rep, meruerit; cum in sanctissimis literarum studijs educatus fuerit; tum profectò præter ceteros, nobilis, pollens, illustris, & clarus habetur; quod & Cornelius ipse, cum de maioribus loqueretur, paulò antè dicebat. Contrà verò cum pessimis artibus corruptus, ad nequitia ac crudelitatem, ad ignauiam & socordiam, ad intemperantiam atq; iniustitiam se tradiderit; cum nulla fuerit rerum diuinarum cura, aut parentum pietas, aut amicorum benevolentia; utiq; apud omnes miser, ignobilis, turpis, abiectus iudicabitur. Constat igitur, ex sola animi virtute veram Nobilitatem desluere. Non ergo diuitiarum cumulus, aut generis amplitudo dare aut eripere nobilitatem potest. Est enim propria Nobilitatis sedes animus, quem imperatrix illa rerum omnium natura non ex maiorum peculiari hæreditate, sed ex fastigio illo diuinitatis ab origine quidē cunctis æquè mortalibus infundit, statuitq; illum quasi vitæ hominis principem, ac veluti quandam speculi lucē, cui si pulchras imagines ostēderis, pulcherrimas quidem referet; si verò turpes, utiq; turpissimæ videbuntur. Sic itaq; mortalium animus est purus quidem ac liber, & ad suscipiendam nobilitatem ignobilitatemq; dispositus. Nemo in hoc optimo atq; præstantis-



fimo munere humanitatis naturæ largitionem accusare  
potest; æqualem enim singulis hunc animum præbet;  
neq; genus, neq; potentiam, neq; divitias animadvertit.  
Nec quisquā tam inops, tam vilis, tam abiectus est, qui  
ab initio nascendi non parem cum Regum aut Impera-  
torū filiis habeat animum, qui non illum splendore Vir-  
tutis atq; Nobilitatis gloria decorare possit. Nō ego  
fortē in hac causā frequentissimis exemplis. Quid dicam  
de his, qui humili loco, parentibus abiectis orti, confe-  
ssim clari nobilesq; evaserunt: quorum mihi tanta uber-  
tas affluit, ut ad dicendum hic dies satis non videatur.  
Attingam pro-re paucissima, & primū nostræ Urbis  
adolefcentiam. Ortus Tullij Hostilij nōne agreste  
tugurium habuit: cuius parentes penē incogniti sunt,  
nōne diu illi pascendi pecoris cura fuit: deinde nōne  
tantū illi claruit ingenium, ut ad summum fastigium  
huius Urbis tunc imperium perduxerit: Hic etenim  
Urbem ampliavit, & Veientes & Fidenates, patriæ  
nostræ inimicissimos, Populo Romano subegit. Nōne  
Servius quoq; Tullius, in servitute natus atq; adul-  
tus, summum etiam huius imperij fastigium habuit:  
in quo tam egregiē versatus est, ut & Sabinos subigere,  
& ter triumphum agere, & tres montes huic Urbi ad-  
jungere, & dignitatem magistratuum augere meritis  
fuerit. Marcus verò Porcius Cato, à quo Porciæ gen-  
tis proles cognomen atq; originem traxit, apud Tuscu-  
lanum vicum, agresti quidem tugurio natus est, huius  
tamen



tamen tanta fuit in hac Vrbe dignitas atq; autoritas, vt omnes seculi sui præstantes viros antecelleret; profectò clarus & Reip. salutaris, non minùs etiam literarum, quàm militiæ curiosissimus. Hic in tanta civiù veneratione fuit, vt sapiëntia sua Senatorium ordinem auxerit, & ipsam quoq; Senatus maiestatem suo splendore decoraverit. Nonne Marium Arpinatē humi super crepidinē iacentem, à parentibus infimis ortum, vitam penè sordidissimam traxisse novimus? deinde tanta in eo virtus & probitas floruit, vt in bello Iugurthino primùm Metelli Consulis Quæstor fuerit, deinde ipsi in Consulatu successerit, in quo tam fortiter versatus est, vt Iugurtham ipsum & Bocchum Mauritaniae Regem, qui auxilium Iugurthæ attulerat, primùm victos fugauerit; deinde multa oppida Numidiæ ceperit; tandem capto Iugurthæ, & Romam ante currum perducto, ingenti gloria triumphauit; postea, cum Cimbri copias Romanorū disiecerint, ita vt timor Romæ grandis oriretur, quantus vix Hannibalis tempore fuerat, ne rursus Galli terram invaderent, iterū contra Cimbros Marius Consul designatus est: & Consulatus etiam, quia id bellum protraheretur, pluries ei delatus est; Quibus tandem victis & disiectis, secundò Romæ triumphū egit. Socratem verò, vnicum humanæ sapientiæ decus, cuius doctrinā omnes philosophantium Scholæ illustratæ sunt, quo nemo vnquam mortalium doctior aut sapientior Apollinis oraculo iudicatus est, mater obsestrix, & mar-



morarius pater genuere. Euripides autem, qui tragicum carmen elegantissimum condidit; & Demosthenes Philosophorum illustrium, & Græcorum Oratorum eloquentissimus, ambo parentes non modò viles, verum etiam ignotos habuerunt. Quis igitur ingenij compos, tam illustrium virorum claritudinẽ sordidam aut ignobilem dicere ausus erit? Necesse est enim, aut nusquam in mortalibus esse Nobilitatem, aut illos omnium fuisse nobilissimos, quorum ingenia, vires, industria, & omnium optimarum artium disciplinæ non modò præter cæteros floruerunt, sed penè usq; ad divinitatem perduxerunt. Neq; tibi licet contradicere, Corneli, qui maioribus tuis ex his virtutibus par initium nobilitatis dedisti. Non igitur contrahitur ex genere Nobilitas, verum ex inserta animi virtute; aliàs nunquam illi fuissent nobiles appellati, quorum ortus tam humilis, tam tenuis compertus, sicut nec contradicere possumus; Multi enim, ex clarissimis viris geniti, adeò flagitiosè & turpiter vixerunt, vt eos non modò non illustres, verum obscurissimos vocare meritũ sit. Referam primò sordidas maiorum tuorum reliquias. Superioris Africani filius Scipio nomine, paternam probitatẽ ignauia superauit: qui ab Antiocho Rege turpissimè captus, supplex ac vinctis manibus precarium vitæ spiritum rogauit; Hic postquam à Populo R. non quidem suo beneficio, sed Circei, qui patris scriba fuerat, Præturam semel impetrasset, adeò propinquorum suorum fauorem habuit, vt nihil



vt nihil vnquam dolentiùs audierint, cum vererentur,  
ne aliquo flagitio dignitatem publicam labefactaret, &  
ita Corneliorum familiam pollueret; nunquam illum  
ius dicere, aut Prætoriam sellam in publico ponere passi  
sunt; tantam sciebant in eo imprudentiam atq; socora  
diam. Publius etiam tuus Scipio Bestia, cum in Nu  
midia contra Iugurtham Consulem ageret, isq; Rex  
Adherbalem & Hyempsalem, Regis quondam Micipsæ  
filios, amantissimos P. R. in contemptum Senatus iniquè  
trucidauerat, sic ignauè exercitum duxit, vt nunquam  
copiæ nostræ miseriùs ac flagitiosiùs vicerint; deinde  
Consul ipse, à Iugurtha pecuniâ corruptus, pacem cum  
eo fœdissimam fecit, quam illicò Senatus reprobauit;  
is verò Consulatu repentè abdicatus est. Quid hac igno  
minia turpius aut detestabilius inveniri potest? Quid  
dicam de impudicissimo adolescēte Q. Fabij Maximi  
Allobrogis filio, qui cum vitam miseram & petulantis  
simam ageret, non profuit paterna claritas, quin ipsi  
Quintus Pompeius Prætor extra urbem ad instar furiosi  
bonis paternis interdiceret? Quid dicam de Corbio ne  
pote Q. Hortensij, viri quidem in civitate nostra & au  
thoritate & eloquentiâ clarissimi? qui ad tantum vitæ  
dedecus luxu atq; libidine deductus est, vt medij se lu  
panaribus publica penè impudentia prostituerit. Pu  
tāsne, Corneli, hos nobiles esse appellandos, quorum vi  
ta eò miserior fuerit, quò præstantius lumen nobilitatis  
extinxerunt? Quid si auorum suorum egregia facta præ  
dicarent?



dicarent? quid si parentum imagines ostenderent? aut domesticas educationes commemorarent? an putas, id quicquam laudis eorum flagitijs afferre? Enimverò tamē rectiùs dices, turpitudinē suam detecturos, eò profectò deteriorem culpabilioremq; quòd Virtutis exemplum, quod ante oculos habebant, misere & nequiter deseruerunt. Neq; ullum censeo meritum talibus liberis ob beneficia parentum honesta in Rep. deberi, quando illi erant ornamentū civitatis; hi verò turpissima sex & labes Reipublicæ; illi quidem Patriæ honorem atq; incolumitatem afferebant, hi verò sæpè dedecus atq; pericula civium conglutinabant; illi etiam varijs cladibus collachrymantem Patriam, aut dubijs quandoq; periculis nutantem, virtutibus atq; industria liberabant, hi verò pacatam aliquādo ac quiescentē scelere ac nequitia turbare atq; evertere nitebantur. Qualia igitur in civitatē ab ejusmodi hominibus collata sunt merita? an nō satius Reip. foret, huiusmodi civibus carere? an non eorum parentibus dulcius, non genuisse? Si etiam ad eorum animas taliū liberorum nomen perveniret, cū maximè in vita patriam dilexerint, illos quidem ē societate mortaliū delendos, & in ultimos cruciatus, veluti perniciosos & inutiles cives, abijciēdos putarent? Multi enim in hac Rep. scelerati liberi, sententiā patrum varijs supplicijs damnati sunt. Cuius rei exemplum est primus vindex libertatis Brutus, qui conscios coniurationis filios necari iussit; Item & Cassius, qui filium affectantem



stantem imperium Populi Romani casum verberibus  
interfici mandavit; Deinde Manlius Torquatus, civis  
noster clarissimus, qui cum filius eius Decius Syllanus  
de pecunijs repetundis apud Senatum accusaretur, solus  
causæ cognitionem suscepit; comperto postea crimi-  
ne, ita de filio pronunciauit; *Cum Syllanum filium  
meum immeritū pecuniam in provincia diripuisse  
constet, non iniuriā paternis laribus, & Reip.  
munere, & omnium civium societate indignū iu-  
dico, & deinde illum à conspectu meo abire iubeo.*  
Non est igitur mos optimi patris, flagitiosos liberos di-  
ligere, verū abſcercere & abhorrere. Nullum ergo bene-  
ficijs paternis meritum illis in patria debetur; siquidem  
in illis nullum meritū, nulla paterna enitet virtus. Sic-  
ut enim splendor nunquam in obscura speculi facie re-  
lucet; ita nec in perniciosis ac sceleratis liberis maio-  
rum virtus splendere potest. Frustrā igitur, Corneli,  
putas, maiorum gloriam in posteris hereditariam fieri,  
& Nobilitatem quasi peculium relinqui. Virtus enim,  
ac virtutis socia Nobilitas, proprio labore quæritur, nec  
cum vitijs constare potest. Omnis igitur iactantia gene-  
ris alienam laudem prædicat, non suam; & si sanguinem,  
artus aut viscera posterī à maioribus claris accipiant,  
superuacue illorum vendicant Nobilitatem, cuius pro-  
pria sedes est animus, cuius pars nulla posteris relinqui-  
tur; exteriora verò corporea sunt, & simul cum vita  
D extinguuntur



extinguuntur. Deniq; si illos eruditi generosos vocant, utiq; rectè inquirunt, si probi sunt; tunc enim generi similem vitam agunt; Tu verò id præteribas, Corneli, quod si ignavi sunt, aut socordes, eos eruditi degeneres vocant, quasi à gloria & nobilitate generis alienos; Ex quo perspicuum fit, à nobilissimis patribus etià degeneres educi posse. Nec, quid in hac caussa censeat ignarū vulgus, æstimandum reor (quod maximos sæpè in errores dilabitur) cū opinioni rarò cum sapientia conveniat. Nunc verò ad nobilem & gloriosam paupertatem perveniamus. Quis enim M. Agrippa pauperior fuit? viro quidè præstanti ac lumine nostræ Reip. clarissimo, cuius, dum publici census instituerentur, nihil in patrimonio inventum est, quod in ærarium deferri posset. Nōne Valerio Publicolæ, qui ter Cōsulatum gessit, semper gratissimus Reipublicæ, funus ex publico constitutum est, quia nullam in morte pecuniam reliquerat? Quintum Lucium Cincinnatum, vitam ruri agentem, ac serentem agros, nōne ad summum imperium Populus Romanus vocavit? qui vir tantæ virtutis fuit, ut cum Prænestini ad mœnia Urbis castra posuissent, non modò Urbem obsidione liberavit, sed eos ingenti robore depulsos apud flumē Alliam fudit, deinde octo Civitates, quæ Prænestinorum sociæ fuerant, atq; ipsum Præneste aggressus in deditionem accepit; quæ omnia viginti tantum diebus ab ipso cōfecta sunt. Quanta deinde fuit Attilij Serani gloriosa paupertas? quem, cum esset



cum esset semen agro spargendum, ad Consulatū suscipiendum Senatus revocavit: Ille deposito aratro, tam fortiter hostium copias deleuit, vt salutem Reip. conferret: Neq; dignitas Consulatus, neq; delitiæ civitatis, neq; adeptæ in bello opes eum continuerunt, quò minus ad dulcem suum agellum atq; ad rusticū charumq; opus suum rediret. Hòsne igitur clarissimos viros, quorum excelsis animis tantus splendor virtutis relucebat, in paupertate atq; inopia viuentes, ignobiles, aut miseros dicemus? Eritne quisquam tam rationis expers, qui non illos nobilissimos vocet, quorum meritis nobilitas Reip. servata est? Patet igitur, vt cum Nobilitate paupertas, & cū paupertate Nobilitas cōstare possit. Nec quis putet, honesti & gloriosi pauperis nullam esse liberalitatem; Cum enim viri illi clarissimi, patriam tuebantur, atq; ei nova imperia quærebant; cum in pulcherri-  
mis Reipub. muneribus amicorū opportunitatibus sub-  
veniebant; cū civiū iniurias propulsabant, nōne sum-  
mum id liberalitatis genus videbitur? Eum, qui ex pec-  
uliaribus commodis liberalitatē exercet, equidem non  
vitupero, sed in paucis potest esse liberalis; Necesse. nō  
est, vt ad benefaciendum tantò impotentior fiat, quan-  
tum expatrimonio detraxerit; At qui in rebus publicis  
ac privatis ope atq; officio prodesse nititur, tantò hic  
esse liberalior potest, quantò in Rep. auctoritatem ma-  
iorem, & quò plura amicorum præsidia frequentibus  
beneficijs adeptus est. Magna ergo potest esse, Corneli,



honesti & clari pauperis liberalitas; Nec inopia quidem  
ab illo adimit Nobilitatem. Nullū enim virtutis gra-  
dum aufert modesta paupertas. Namq; hoc pulcherri-  
mum munus hominibus æquē à natura tributum est, vt  
quisq; virtutem consequi possit, cuius sedes in penetra-  
libus non sita est. Nam nulla fors tam dura est, aut tam  
acerba, quæ quidem homini virtutē eripere possit; nec  
vlla tam florens, aut iucunda; quæ ignauo aut socordi  
gloriam possit afferre. Nam si fortuna virtutis imperiū  
haberet, utiq; non esset virtus, neq; vllum virtutis meri-  
tum: Non .n. nostra foret, sed aliena rerum benè geren-  
darum electio. Quamobrem desine iam, Corneli, existi-  
mare, quòd virtus, liberalitas, ac nobilitas in affluentia  
divitiarum originem habeant. Desinet enim cum eo esse  
Nobilitas, qui opibus nō abundat. Vera autem hominis  
claritudo nulli casui subiecta est; Item viri illi excelsi,  
quos suprà memoraui, nunquam in paupertate illa no-  
biles fuissent; quorum tamen nomina, quasi omnium sæ-  
culorū memoriā celebratissima, Populus Romanus ve-  
neratur. Quibus de rebus P. C. si clarissimi viri flagi-  
tiosos liberos aliquādo educunt, si ex abiectis parētibus  
liberi aliquando oriuntur gloriosissimi, si in paupertate  
atq; inopia vivētibus maximus nonnūquā refulsit splen-  
dor virtutis, manifestū est, nullam esse divitiarū aut ge-  
neris nobilitatē: verū animus liber & ingenuus, nulli  
flagitio ac turpitudini seruiens, atq; in optimis artibus  
exercitatus, profectò nobilis, clarus, pollensq; haberi  
debet.



debet. Itaq; cum de Nobilitate agimus, tota inter nos  
de Virtute contentio relinquitur. Qua in re nullum, P.  
C. alium pro me dicentem non modo non antepono, ne  
cum de meis loquar virtutibus in vitium procacitatis  
incidisse videar, sed hoc mihi periucundum est, quod  
aquistimos animos vestros, & mansuetudinem humani-  
tatemq; vestram intueor, qui vtriusq; vitam omnes in-  
telligitis: Vnde nec falsa vobis predicare possum, nec  
vera mihi obesse debent. Ego igitur, ubi ab infantia  
adolescere coepi, aetatem meam omnem dulcissimis lite-  
rarum studijs accommodavi: Deinde aliquantum pubescen-  
tior factus, magnam adolescentiae meae partem in Philo-  
sophia consumsi, cuius doctrinam nescio quid in vita mor-  
talium laudabilius inveniri possit: in quo studio non  
modo Latinos Praeceptores habui, verum etiam Athe-  
nis illarum optimarum artium Graecos Principes audire  
libuit, in quarum disciplinis quantum profecerim, alio-  
rum sit iudicium. Ego de me sine arrogantia tantum hoc  
dicere possum, quod nulli mihi unquam dies vacui, neq;  
ulla illucubres noctes perire: Erat infusa mihi quadam  
a natura sciendi cupiditas, ut nihil recti cognitione di-  
gnius ingenio meo iudicarem: affluebat undiq; mihi co-  
pia Praeceptorum, & celeberrimarum discipulorum societates,  
inter quorum sapientiam educatus, nullatenus effici pote-  
rat ignavus ac indoctus animus: ac tanta fuit tum mihi  
doctrinarum ac bene vivendi exercitatio, ut nihil nunc,  
quod inhonestum sit, desiderare queam. Itaq; vitia na-



tura mea non modò molesta, verùm etiam ei contraria  
facta sunt, dulcissima verò sociæ virtutes. Deinde, cum  
intelligerem, præclariora tum fore mortalium ingenia,  
cum ad Remp. accommodantur, totum memet patriæ  
concessi, nunquā postea illius salutem & amplitudinem  
cogitare desin; nihil laborum pertimescens, nihil peria-  
culi, quod illi gloriam & incolumitatem parare posset.  
Itaq; dum proximis superioribus annis vndiq; à Piratis  
maria infestabantur, & Cn. Pompeius vir clarissimus  
Romanæ classis imperium gereret, & mihi decem ex-  
rostratis navibus concessisset, vt contra comitē cuiusdā  
Piratarum alterius classis ducem confestim dimicaret;  
nōne illum ingenti conatu resistentem cum omnibus  
eius copijs summa ope superavi? Nōne in bello Mi-  
thridatico eiusdem Imperatoris miles totiens vallarent,  
totiens muralem, totiens civicam coronā habui? Nōne  
aliquando etiam exercitus Quæstor fortissimas saepe  
hostium acies deleui? Nihil profectò adolescentiæ meæ  
defuit, quod non adeptus sim, quod infra Consulatum  
militaris gloria cuiquā afferre potest; & ita clarus ado-  
lescens vixi, vt cum senescam, non inutilis Reip. civis  
vixisse videar. Quantus autem mihi sit amicitiarum  
cultus, vos dulces amici mei, qui vndiq; hîc astatim simul,  
hactenus novistis, quorum opportunitatibus nunquam  
defui, tum in foro, tum in ordine, tum in singulis priva-  
tis publicisq; rebus cuiusvis roganti assistens; nulli vnquā  
hominum meorum beneficiorum parcus; fidei, pietatis,  
atq; amoris



atq; amoris affluentissimus. Quamobrem (vt in cunctis  
amantibus animis euenire solet) omnium mihi gratiam bene-  
volentiamq; cōiunxi: Nemo est in hac Vrbe, quinimo in  
Orbe terrarum, quem vnquā me odisse norim, nisi fortē  
Populi Romani sit hostis. Hæc deniq; summa est meo-  
rum operum; in Republica semper curiosissimus, foris  
officiosus, domi iucundus, in studijs vigilantissimus, in  
parentes pius, in propinquos charus, in amicos fidelis, in  
rebus verò diuinis semper veneratissimus esse studeo. His  
itaq; artibus me semper putavi Nobilitatem consequi  
posse, his virtutibus existimaui clarum effici animum, ac  
profectò, Corneli, tuo clariorem. Quales enim tui mores  
sunt? quales vitæ habitus? quid vnquā in vita meritis  
es, vt ante me Nobilitatē vendicare velis? quod vllum  
vnquam abs te nostra Respub. beneficium novit, qui  
hactenus in ea ita vixisti, vt in suis commodis nondum  
te natum esse intelligat? Quis est mortaliū, qui vnquā  
tuo patrocinio sit vsus? In quem vnquam hanc, quam  
adeò extollis, liberalitatē exercuisti? nisi fortē in merca-  
trices aurum omni impudicitia profuderis, quibus sem-  
per domum tuam illam clarissimam, & familiam tuam  
omnē circumseptam habes? Existimas tum clarus fieri,  
cum tubis & cantibus illorum scortorum gregem ducis?  
atq; in voluptatibus tuis illorum turbā te vndiq; circum-  
septum vides? cum inhonestis amplexibus, turpi luxu,  
ac fœdis ebrietatibus colluctaris? At cum nō ita vivas,  
vt maiorum tuorum egregia facta prædicasti: fatebor  
quidem,



quidem, in nostra civitate illorum claritudinem maximam celeberrimamque floruisse; verum hac recordatione tu tuam imprudens ignaviam detegis. Nihil enim detestabilius est, nihil miserius, quam in tanto splendore virtutis ætatem adeo cæcam atque obscuram ducere. Præbebant enim tibi illi maximarum rerum exemplum, & ad bene de Repub. promerendum, veluti ante oculos illustrissimum tibi iter ostendebant, ut facilimum tibi fuerit, in tanto maiorum fulgore clarescere; Tu verò quasi clara luce medias in tenebras demersus es. Deinde putas in Repub. eorum meritis nitere, cum tu illam tuis flagitijs deturpes? Putas te illorum beneficijs claritudinem consequi, cum tu ipse ignavus sis? Putas somno, quiete, ocio, vino, epulis, libidine atque impudicijs gloriam acquiri? quam illi tot laboribus, vigilijs, continentijs, fame, siti, æstu, algore, casibus atque periculis conquisiit? Vehementer erras. Necesse est, ut, si egregijs titulis fulgere cupias, tu te ipsum facias illustrem; Frustra in bonis hæreditarijs Virtus quæritur. Inquire maiorum tuorum libellos, & mensularias rationes; nunquam tibi Virtutes ibi descriptas invenies. Dicis, eorum nunc exutis animis nihil esse iucundius, quam ut te illorum sanguinem atque amorem omnes Reipub. dignitates colant & venerentur; Ego verò arbitror, si te nunc ex illo fulgore luminis prospectat, nihil eorum gloriosis spiritibus detestabilius esse, quam quod tam diu flagitia tua hæc claritudo patriæ sustinuit; à qua, si hic viverent, te iam  
ipfi omnes



ipsi omnes repente vnâ procul abiecissent. Nec pudet  
(ô Dñ boni) quòd cū illis educatus sis, dicere, cū a-  
deo turpiter & spurcissime vixeris, vt inter lupanaria  
vixisse videaris: Afseris, illorum imagines in tuo con-  
spectu relucere? An ignoras, quòd socordiâ tuâ illorum  
gloriam vicisti. Itaq; in tenebris tuis ampliùs eorū splen-  
dor nitescere non potest. Deinde amplissimis laribus,  
pulcherrimis suburbanis, opulētissimis colonijs Nobili-  
tatem hanc tuam decoratā facis; meam verò mediocrem  
supellectilem, domum popularem, angustum agellum,  
honestam paupertatē vituperas: sed nescis miser, quāto  
tibi illa dedecori sint, mea verò mihi quā sint præclara  
(pulchrius est enim mihi in tenuissimis rebus florere,  
quā tibi in apparatus maximis sordescere) quanquā  
ego & publicis magistratibus, & ope militari maiora qui-  
dem habere potuissem: nec volenti mihi vnquā honestæ  
opes deesse potuerunt. Sed quia nihil supra honestatem  
cupio, dulci frugalitate mea contentus sum; satis est ha-  
bere, quantū cupiam; satis est cupere, quantū honestum  
sit; quicquid suprâ quæritur, luxuriæ cedit. Quid am-  
plius desiderandū est in vita, nisi vt moderatē vivamus?  
Quæcunq; autem ad ornatum diuitiæ conglutinantur,  
supervacui laboris sunt. Sit Virtus pro decore illustri  
animi, non comitæ supellectiles; splendeat egregius vir  
inter quæcunq; vilissima, non autem miser inter splen-  
didissima vilescat, non vereatur quis rerum inopia vir-  
tutem amitti; nihil modicum est, benefacere volenti.

E

Qui non



Qui non sit clarus, seipsum accuset: impiè enim de fortuna queritur. Quibus de rebus, desine iam Corneli, in his tuis opibus gloriari, quæ potentiorè socordiam tuam faciunt: desine frugalitatem meam contemnere, quæ clariorem virtutem meâ reddit: desine Nobilitatem in bonis fortunæ ponere, quoniam caduca & aliena sunt. Est quidē cum Virtute Nobilitas, & cum Nobilitate Virtus locanda. Hanc tu Lucretia, splendor ætatis nostræ, veram Virtutis Nobilitatem nosti, quam tu admirabili ingenio adepta es; Tibi non ineptiæ puellares, non muliebres ornatus, non compta monilia, non splendida vestes, non festivi chori cantusq; placuere; singula quidem incitamenta luxuriæ; verum Philosophiæ ac liberalibus artibus dedita, cōtinentia, laboribus, pudicitia, vigilijs, sollicitudine, vitam omni Romana iuventute celebriorē ducis; hac tu sola nobilitate mihi placuisti, hac ego me tibi placuisse intelligo. Nihil enim in rebus humanis optatius est & amabilius, quàm similis illustriū virorū amicorumq; affectus, & par rectè vivendi cupiditas; Nihil infestius aut odibilius, quàm cum alius ad clarum virtutis splendorē evolat: alius ad turpes vitiorum voluptates dilabatur. Itaq; cū ego parem tuis moribus, Cornelius verò dissimilē vitam agat, profectò, vt me vehementer ames, illum verò acerrimè oderis, necesse est. Qualis .n. tibi cum eo esse potest vitæ iucunditas? Tu celeberrimis studiorum oñs intendere velis; ille verò literarū inimicissimus garrulas luparum voces ebrietasq; suas



tesq; suas interstrepere? Tu domum honestate & pudicitia nitentem conspicer; ille verò libidine ac luxuria debacchantem intueri? Tu inter eruditissima semper ingenia de mirabilibus rerum causis, de siderū motibus, de morum disciplinis concionari; ille inter suas meretricum turbas de cunctis flagitijs ac turpissimis voluptatibus, quasi in his artibus egregius orator, prædicare? Quando igitur inter tam dissidentes animos pax unquam aut concordia esse potest? Ego verò in pacificos meos lares tuam continentiam, dulcis Lucretia, deducam; qui tametsi supervacaneis artibus pleni non sint, tamen virtute, moribus, iucunditate & omni pudicitia relucēt. Ibi primum confertissimam librorum bibliothecam meam videbis, in qua semper omnem spem meam detuli; hinc omnis meus est ornatus, hinc conjugales tori, hinc splendida quidem mea supellectiles; ibi quos voles aut Græcorum aut Latinorum commentarios leges, ibi sæpè simul de summa nostræ Philosophiæ disputabimus; Repetam tibi aliquando, quas mirabiles Atheniensium Philosophorum præceptiones audiui, quorū quidem dulci memoriā delector; Nulla te unquam ab his oculis familiarium rerum sollicitudo detrahet; Satis enim quotidiani victus exprobratus mihi agellus affert. Quod si quis illum casus eriperet, Virtutem mihi eripere non poterit, qua mihi mille ad vitæ commoda aditus patebunt. Itaque in altissimis tuis studijs fruere oculis, quibus voles; nemo tibi inter quietem beatas cogitationes tuas obturbabit:



Nullus tibi aderit scortorum strepitus, aut timor temerarij coniugij, quod etiam castissimos matronarum animos turbare solet. Neq; tibi etiam amantissimi & dulcissimi amplexus deerunt; Neq; hoc pudicitiam lædat. Est enim divina quædam religio ad conservandum hominum genus coniugalis cum virtute amor copulatus; Nulla deniq; votis tuis cōtingere felicior fortuna posset. Quid enim beatiùs est in rebus humanis, quàm in tranquillissima iucūditate, virtute & moribus vitam agere? quid dulciùs, quàm posse optimis ac pulcherrimis cogitationibus ferum ingeniū alere? Quid iucundius, quàm cum eo vivere, quem æquè ac te præclara desideria delectent.

Vos autem P. C. in quorum animis sapientissimis tantæ ac tam spectatæ rei iudicium sedet, nunc tandem expergiscimini, & contentionis summam animadvertite. Contendimus namq; de Nobilitate; Satis utriusq; vita, fortunæ, studia, mores vobis hætenus noti, ac nunc breviter memorati sunt; Vnus hic tandem controversiæ exitus; hodiè quidem cum impudicitia continentia, castitas cum libidine, magnanimitas cum socordia, eruditio cum incitia, virtus cum ignavia cōtendit; vter nostrum nobilior sit, P. C. in vestra sententia relinquitur.

DIXI.

*D. Junius*



D. IVNIVS SYLLANVS COS.

*Secedite paulisper adolescentes, & Patribus  
consultandi locum date.*

**A**V diuinus P. C. vtriusq; adolescentis Oratio-  
nes, qualis quisq; vir sit, Orationes indicant:  
Nostri jam muneris atq; officij erit, singula causæ  
momenta diligenter perpendere, & pro quo fe-  
renda sit sententia, studiose, accuratè diligenterq;  
inquirere. Quia enim Populo jus dicimus, id-  
circo à nobis abesse debet in iudicando temeritas,  
& inconsulta iudicandi ratio. In hac igitur gra-  
vi, ardua & perplexa de Nobilitate controversia,  
vestram, P. C. prudentiam, fidem, doctrinam &  
industriam requiro, utq; mihi in inquirenda verita-  
te pro more & consuetudine adsitis, volo, sic nãq;  
veritate cognita, quod causa petit, jus postulat,  
æquitas flagitat, sine justa cuiusquam litigantium  
indignatione, sententiã nostrã decernere & defi-  
nire poterimus.

Tu ergo L. LICINI MVRAENA,  
Consul & Collega honorande, tuum in primis de  
E 3 presenti



*praesenti contentione iudicium interpone, & quid  
hac in re statuendum sit, decerne.*

*L. LICINIVS MVRÆNA.*

**N**ON equidem ignarus sum, Deci Syllane  
Consul, vosq; P. C. amplissimi atq; pruden-  
tissimi, quàm grave sit primò sententiam  
dicere; gravius, in causa dubia, cōtroversa,  
atq; summa cum invidia conjuncta dicere; gravissimū,  
statim & ex tempore in hoc confessu gravissimo dicere;  
veruntamen cū hac in parte plurimū verti meum  
officium intelligam, vt vocatus ab amplissimo Ordine  
compaream, & rogatus sententiam meam ita exponam,  
vt nihil honestate, & patriæ Reiq; publicæ commodis  
antiquius habuisse videar; idcirco quid pronūciandū esse  
hac in controversia existimem, paucis liberè atq; inge-  
nuè exponam. Animadversis verò atq; accuratissime  
quàm fieri potuit, expensis & examinatis ijs omnibus,  
quæ vtrinq; adductæ nunc fuerunt, rationibus; propen-  
sior longè factus sum in partem Flaminij, cuius causa  
firmissima habet fundamenta, quæ nulla vi rationum  
ex adverso adductarum labefactari possunt. Quis enim  
est tam legū imperitus, tamq; injustus rerum aestimator,  
quin videat, & iustius & melius Publio Cornelio suam  
Flaminium probasse generositatem. Cornelij quidem  
genus nemo vestrū, opinor, ignorat; sed nec Flami-  
nius etia



nius etiam, si historiarum monumenta revolvimus, ob-  
scuris prorsus natalibus est. Quare cum utriq; eadem  
principia sint eademq; origo, neuter illorum nobilior  
dicendus erit, nisi cui nobilior est animus, rectiusq; inge-  
nium & artibus bonis & honestis aptius. Socrates, ille  
Philosophorum princeps, & ab Apolline hominum sa-  
pientissimus judicatus, optimum frumentum, non ex  
pulchritudine agri, sed ex eo, quod cibum optimū præ-  
beret, æstimandum prudenter affirmabat; sic & ego cum  
tanto viro, non qui ex nobili genere sit propagatus, sed  
qui sit optimis moribus præditus, eum virum bonum &  
verè Nobilem statuo. Non enim Nobilitatis dignitatem  
in his, quæ bestia illa multorum capitum plebecula ad-  
miratur, pono, aucupio videlicet, venatione, levitate,  
opibus, inani jactatione, equis, stipatorum gregibus,  
luxuria, flagitijs, splendore, strepitu aut generis profan-  
pia; nam hæc partim ludicra sunt, partim caduca, par-  
tim tetra & flagitiosa; verum illud Nobilitatis certum  
indiciū esse judico, quantò feris homines præstant, tantò  
ipsis etiam hominibus nobiles antecellere, ac per omnes  
virtutum gradus ad hoc sublime Nobilitatis fastigium  
ascendere. Rectè igitur, meâ quidem sententiâ, in con-  
trarium Flaminius differuit; Meo itaq; suffragio Nobi-  
litas deinceps ex Virtutibus æstimator, & Lucre-  
tiam, Flaminius, ut nobilior, vxorē habe-  
to; Salvo tamē cujuscunq; meliūs  
& rectiūs sentientis judicio.

D. Junius



D. IVNIVS SYLLANVS COS.

**E** quoq̃, consultiſſime MARCE PVPI,  
rogo ſuper hac controverſia, quæ inter ado-  
leſcentes iſtos de vera Nobilitate diſceptata eſt,  
ſententiam.

M. PVPIVS PIſO FRVGI  
CALPHVRNIANVS.

**L**IBENTER & intrepidè in eandem cum L.  
Muræna Conſule devenio ſententiã. Pro-  
inde cùm Flaminius ipſemet cauſam & juſ-  
ſuũ, vt mihi quidẽ videtur, abundè cõpro-  
baverit, & adverſarij Cornelij objecta frigidiora, quàm  
in ijs refutandis anxie laborandum ſit, ſatis ſuperq̃ dilu-  
erit: idcirco breviter me expediam, vt quò brevior fu-  
turus ſum, eò rem paucioribus pro Flaminio indigere  
ſignificem. Quamvis verò Flaminius, quippe ſua nixus  
virtute, nihil glorioſius de genere jaçitet: genus tamen  
ad eos refert Conſules, quorum Legatus Conſularis, ma-  
jor ille quõdam Cato floruit. Licet verò hæc Nobilitas  
per majores acquiſita, veluti ex traduce in poſteros de-  
ſcendat & vtrumq̃ adoleſcentẽ cõſpicuum reddat; tum  
demũ tamen commendabilis, & laudi honoriq̃ assignan-  
da eſt, ſi quis eam ad virtutes referat; Si verò, eã quis a-  
butens, vitijs ſeſe dedat, ac majorem quaſi licentiam ad  
ſcelera.



scelera ex Nobilitate sibi tribui autumet, illi certè non honori est & laudi Nobilitas, sed dedecori & vituperio. Quoniam igitur Cornelius à majorum studiis alienus, se quàm longissimè & dictis & factis à Nobilitate sejunxit, eaq; ratione verū illum generositatis titulum vilem contemtibilemq; reddidit; contra verò Flaminius, præter majorum celebritatem & amplitudinem, Virtutem excellentem & ad multos pervagatam semper conjunctam habuit, eiusq; beneficio etiam supra fortunam surrexit; multis ego illum Nobilitatis gradibus antepono Cornelio, illiq; Lucretiam, si volet ipsa, adjudico. Sic opinor fiet, vt juvenus Romana, Nobilitatem, non in delicijs, non in fumosis majorum imaginibus, sed in Virtutibus & præclare factis positam esse cognoscat.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

**V** quoq; Clarissime MARCE VALERII MESSALA, quid sentias, nobis dicere non graveris.

M. VALERIVS MESSALA  
NIGER.



B. majorum Nobilitatē nemo gloriari merito potest; lutum .n. & terram commune habent omnes homines sui generis principium, tam qui in purpura & bysso nutriuntur, quàm qui in paupertatis abyssu cōsumuntur. Quapropter

F

propter



propter quicūq; licet ex ignobilibus parētibus ortus, suis  
 maioribus præluxerit, & dignitatis & laudis initia suæ  
 familiæ dederit ac primus conciliarit, modò Pietate &  
 Virtute alijs plurimum præstet, cum ego verè nobilem  
 pronuncio. Hæc Nobilitas à præstantissimis viris est  
 consecranda, hæc laudanda, hæc præmijs privilegijsq;  
 cohonestanda, quò fiant cæteri cives ad Virtutem capessenda  
 animosiores ardentioresq;. Neq; enim, quem  
 admodum cum Aristotele, divinus Plato, illud Socratis  
 cæ amœnitatis lumen, scribit, vlla potest esse pia sanctaq;  
 Reipublicæ politia, aut felix ejusdem status, absq; bonis  
 civium moribus, & nisi cives ipsi per sese certatim æmu-  
 latione quadam honesta ad Virtutē Nobilitatemq; con-  
 tendant atq; ferantur. Quare si Cornelius virtutes ostē-  
 dere potest, quibus natalibus respondeat, benè; sin mi-  
 nus, sinat obscuram Virtutem emergere.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

**E**T tu, gravissime L. AFRANI, tuam  
 nobis dic sententiam.

L. AFRANIVS NEPOS.

**A**PVD majores nostros magna sæpenumero  
 fuit, & inter hosce adolescentes est, non tam  
 de Nobilitate, quàm de ejusdem perfectio-  
 ne contētio; Multi in affluētia divitiarum,  
 nonnulli in felicitate & præstantia generis, plariq;, ut



Flaminius, & qui ante me dixerunt Collegæ mei, in gloria Virtutis illam sitam esse arbitrati sunt. Ego verò licet non lubenter aliàs à Collegarum recedam sententia, tamen si eorum rationes, si Nobilitatis conditiones paulò, uti debeo, accuratiùs cōsidèro, huic sententiæ eorum subscribere minimè possum; contraq; Nobilitatis perfectionem non à Virtute in dispositione voluntatis, sed à Natura in dispositione mētis proficisci statuo, eaq; propter origini generis & Nobilitatis præstantiæ plurimùm tribuendum censeo. Etenim indubitatum est, apud omnes ferè, verissimū esse, quod à Poëta Græco præclare dictum est, è squilla non nasci rosam vel hyacinthum; Experientia insuper testatur, quosdam heroicos motus, animorumq; præclaros impetus, ceu Virtutū igniculos, à progenitoribus in sobolē quasi transfundi & derivari, adeò ut omnibus propè persuasū sit, de honestis probisq; & Virtutis laude celebribus parētibus similes nasci posteros, non secus atq; de generosa natione equorū aut aliorū animalium æquè bona & generosa procreatur soboles; Siquidem

*Fortes creantur fortibus & bonis:*

*Est in iuvenis, est in equis patrum*

*Virtus: nec imbellem feroces*

*Progenerant aquilæ columbam.*

Proinde, ut causæ efficiendi aliquid, vim potestatemq; habent; sic id quod est effectum, causæ rationem demonstrat. Hinc & Aristoteles, Philosophus ille perspicacissimus atq; iudicio mētis acerrimo præditus, magnam esse



gnam esse procreationis vim contendit, & cum generis  
fundamentum non præclare jactum est, cætera quoq; la-  
bare ac prolem fieri infelicem necessum esse, multis in  
locis affirmat, vbi inter cætera sic inquit: Nobilitas apud  
omnes domi est in precio atq; honore; propterea quod  
probabile est, viros præstantiores esse eos, qui è præstan-  
tioribus nati sunt, quippe cum Nobilitas generis sit vir-  
tus quædam atq; perfectio; vidit nimirum humanæ veri-  
tatis Aquila, velut ex homine homo, ex belua belua, ex  
stirpe stirps nascitur, ita ex bonis bonos, ex nobilibus  
procreari nobiles. Quemadmodum namq; in radice, est  
quædam potentia & dispositio naturæ, cujus vi & influ-  
entia in ramos succus, vita & fructus derivantur; Ita et-  
iam in ipsa natura est quædam facultas & propensio,  
cujus beneficio & motu à parentibus in filios, nobilitatis  
quasi vita & succus propagatur, ejusdemq; quasi sapor  
diffunditur. Non parum igitur refert, à quibus quis na-  
tus sit, cum in filiis sæpenumero videas non solum oris  
similitudinem residere, verum eandem propè morum ac  
virtutum imaginem relucere. Hanc ob causam apud  
Græcos, ingeniosam illam & elegantia doctrinæ excultā  
nationem, ij, qui à primis & summis illis Ducibus Cæ-  
crope, Æaco, Hercule, Achille alijsq; primarijs Græciæ  
Principibus genus duxerunt, in eorum nominis & glo-  
riæ successionem cooptati sunt, suffragante totius Græ-  
ciæ consensu, omniumq; vocibus ac mentibus compro-  
bantibus; Quinimò majores nostri in petendis honori-  
bus nobi-



bus nobiles genere, etiā turpissimos, industrijs & novis  
hominibus prætulērunt; non profectò sine ratione; Om-  
nes .n. boni semper Nobilitati favemus, & quia vtile  
est Reipublicæ, Nobiles homines esse dignos majoribus  
suis, & quia valere apud nos debet clarorum hominum  
senex de Reipub. meritorum etiam mortuorum me-  
moriam; Itaq; si emolumentorum nostrorū cura nos tan-  
git, si grati sumus, si acceptorū memores beneficiorum,  
quæ accumulatissimè Nobilium parentes in nos & in  
Rempub. effuderunt, certè Nobilium liberis favere,  
Nobilium soboli benè velle, Nobilium posteritati bene-  
facere beneq; dicere debemus. Quia .n. illi ñdem ege-  
runt, vt non in vnam ætatem prodesse, sed beneficia  
sua etiam post sese relinquerent, ita & nos non vna ætate  
grati esse debemus. Hic magnos viros genuit, dignus est  
beneficjs, qualiscunq; est, dignos dedit; Hic egregijs  
majoribus ortus est, qualiscunq; est, sub vmbra suorum  
lateat. Vt .n. loca sordida repercussu Solis illustrantur,  
ita inertes majorum suorum luce resplendent. Quare, vt  
concludā, cū Cornelius, avos suos, proavos, tritavos  
recēsuerit, nobisq; ex omni antiquitate, seriem & genea-  
logiā eorundē in memoriā revocaverit, quorū, vt notū  
est omnibus, attestante etiam ipso Flaminio, claritudo  
maxima celeberrimaq; in nostra Civitate quādiutissimè  
floruit, & opulētia ac divitijs illustris fuit; Idcirco Fla-  
miniū, vtpote novū hominē ignobiliorem; Corneliū ve-  
rò & genere & bonis fortunæ nobiliore esse censeo.

F 3

D. Junius



D. IVNIVS SYLLANVS COS.

*Cense & tu Q. CÆCILI METELLE.*

*Q. CÆCILIVS METELLVS  
CELER.*



CONSIDERANTI mihi paulò diligentius,  
& quæ à Collega, Viro amplissimo, modò  
allata sunt, ad vivum, quod ajunt, rescan-  
ti, in ejusdem, P. C. ire sententiam planè  
nequeo. Licet, n., vt antè dictum, è squilla non nascatur  
rosa; licet feroces aquilæ non progenerant imbelles Co-  
lumbas; licet deniq; virtus bestiarum ad foetus ipsarum  
in generatione transfundatur; tamen in hominis naturâ  
diversum quid fieri, quotidiana testatur experientia.  
Annon sæpenumero vñ venire perspicimus, vt ex nobi-  
lissimis quibusq; & strenuissimis, optimis doctissimisq;  
parètib; liberos prodhisse ignobilissimos, ignavissimos,  
pessimos, inertissimosq; conqueramur? Vt igitur in cæ-  
teris animantibus, quæ singulorum bonitas sit, spectas-  
mus; & venator non canis prolem, sed canem; equitadi-  
studiosus non equi foetum, sed equum quærit; sic & nos  
in veram Nobilitatē inquirentes, non à quo quis ortus,  
sed quis sit, investigemus, & hominis nobilis laudem,  
opera, labore, diligentia vniuscujusq; comparatam, in  
ipsius propriâ esse statuamus, præsertim cùm teste divino  
Platone, nihil turpius sit homini, qui alicujus momenti  
ipse videri



ipse videri velit, quàm committere, vt non sua sed maiorum laude ornetur & celebretur. Vnde manifestum sanè evadit, quòd qui stirpis ac gentis suæ antiquitatem ac præstantiam ostentant, ac ipsi sese flagitijs inquinant ac sceleribus tantùm nobilitant, hi nimirũ tanquã claudus baculo, ita virtute & fama parentũ majorumq; suorum nitantur. Etenim quemadmodũ quispiam neq; vir melior, neq; magis strenuus videtur, quòd patria ejus aliquãdo & in pace floruit, & bello magnas res gessit, multò minùs, quòd Urbis situs opportunus, quòd munitionibus aut naturã ea ipsa patria à periculis tuta est; Ita neq; maiores, neq; parentes genere nobiles, liberos suos efficiunt Virtute claros, cùm reperiantur nimis multi, qui ipsi in suam familiam veluti lumen Nobilitatis sua Virtute intulerunt, plurimi accensum illud à majoribus suis futilitate sua extinxerunt, atq; immani quodam furore & patriam prodere atq; evertere, & parentum bonis atq; etiam interdum corporibus violentas manus adferre non dubitarunt. Quare distinguendum censeo, inter *εὐγενεῖα* siue generositatem, & Nobilitatem; Potest enim aliquis esse *εὐγενής* seu ex claris parentibus natus, qui tamen non sit Nobilis; contrà, potest aliquis esse Nobilis, qui tamẽ nõ sit *εὐγενής*, siue ex illustri stemmate & familia procreatus. Vnde denuò apparet, Nobilitatẽ veram non à maioribus accipi, sed à sola Virtute, sumisq; in Rempub. meritis comparari. Est sanè Nobilitas flos subditorum, ornaementum pacis, firmamentum tranquillitatis,  
magistratus



magistratus praesidium, regionis totius propugnaculum,  
sed tum demum talis est, cum Pietatis, honestatis, omni-  
umque virtutum amans, nec ignavia, nec luxu, nec libidia-  
ne, nec fastu, alijsque id genus vitis sese polluit, nec maio-  
rum splendori tenebras offundit. Hinc maiores nostri  
homines prudentissimi, eos, qui bene apud omnes au-  
diverunt, atque huiusmodi summa cum laude noti fuerunt,  
Nobiles quasi noscibiles appellaverunt. Intellexerunt  
nimirum, Nobilitatem non majorum claritatem, nec  
propriam bonam indolem, sed cognitam Virtutem esse.  
Intellexerunt eandem non amplitudine generis, non pictis  
avorum vultibus, non opibus ad luxuriam plenis, sed  
sola inquam, sola, Virtute actionibusque honestis aestimari.  
Quia igitur, ut ex praecedentibus satis superque patet:

*Stemmata nil faciunt, nec prodest ordine longo  
Censeri Patrum, pictosque ostendere vultus  
Majorum, & stantes in curribus Aemilianos:*

Nobiles non sunt mihi Avi,

Nec altis inclutum titulis genus,

Sed clara Virtus: qui genus jactat suum,

Aliena laudat.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

**LVCIAVRELI** *tu quid asseris?*

**L. AV-**



## L. AURELIUS COTTA.

**N**ANC ego Nobilitatem veram, non simulatam;  
illustrem & claram, non fumosam & umbratilem  
judico, & quæ Eruditionis amans literarumque  
studiosa, & quæ fortis, ac spiritu singulari & principali  
ad res præclare fortiterque gerendas incitata est. Quem  
admodum namque *duo sunt, quibus extulit ingens,  
Roma caput, Virtus belli, & Prudentia pacis:*  
ita duæ quoque sunt viæ ad illustre nomen veræ No-  
bilitatis consequendum præcipuæ & accommodatissimæ;  
vna, Eruditio & doctrina, sine qua nec regnum, nec  
Respublica, nec civitas, nec familia regi vel constare  
potest; altera, Rei militaris virtus & alti & exaggerati  
animi robur & fortitudo, in cuius tutela atque præsidio  
omnes res urbanae & præclara hæc omnia latent, utpote  
quæ orbem terrarum parere nostro imperio coëgit. im-  
præsentiarum verò, nullum laborem sustinere, nullum  
periculum subire, nullos cruciatus perferre, pro patriæ  
commodis Rei que publicæ salute recusat. Proinde si qui-  
dem Flaminius non modò armis decoratus, verum etiam  
literarum studiis & legibus armatus, Veterem illam ma-  
jorum suorum gloriam ab interitu vindicavit, & magna  
quoque sua cum laude eandem ad posteritatem propagare stu-  
duit; Cornelius verò contra ipsa naturâ quasi relictâ arro-  
gantiùs ambitiosiusque solum Nobilitatis generis titulum  
præ se tulit, nulla interim sua virtute suffultus; idcirco  
eundem ignobilem, Flaminius verò nobilem assero.

G

D. IV



D. IVNIVS SYLLANVS COS.

*Luci Volcati, tu quoq; animi tui sensū pronuncia.*

*L. Volcatius Tullus.*

**E**quidem semper iudicaui, majorum gloriam posteris quasi lumē esse, qui si illud Virtutis fomēto aluerint, meritō sibi Nobilitatis titulum vēdicabunt; Si verō maximē degeneres tantummodō inanem vetustatis & sanguinis gloriam aucupātes nullā expressam & eminentem maiorum suorum Virtutem sectati fuerint, nec in labore corporis, nec in animi cōtentione, sed luxuria molliter diffuentes in voluptate, in ocio, in omnium vitiōrum concursu atq; colluue, vitæ suæ cursum confecerint, eos tantum abest vt verē nobiles esse iudicē aut appellem, vt etiam ne micam quidem vllam Nobilitatis eosdem habere sentiam; Nec dubito, quin Africanus noster, qui suo cognomine declarauit, se tertiam mundi partem subegisse, itemq; reliqui præstantissimi viri, qui maiorum memoria sua fortitudine toto terrarum orbe claruerunt, degenerem & ignauo corpore languentem vel filium, vel nepotem, veluti nothum, non modō hereditate, sed etiam nomine & familia exclusū Orco deuouissēt. Degener ergo Cornelius generosus esse nequit, & mea sententia Flaminius multō nobilior est.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

*Prudentissime Sulpiti, mentem tuam declara.*

*Seruius*



## *Seruius Sulpitius.*

**E**go verò, Consul Amplissime, hanc de Nobilitate nobilissimorum hominum contentionem admodum Reipublicæ nostræ periculosam esse iudico. Quid enim aliud inter nobiles dissensio, quàm totius Reipublicæ (vt ita loquar) paralyssis ac dissolutio? Nam vt principijs nervorum malè affectis, singulae partes totius corporis, omnibus oppressæ & confectæ doloribus tremunt; ita nobilibus & primarijs viris inter se contendentibus & diuisis, necesse est, vt & reliqui ciues in varias factiones, easq; periculosissimas, distrahantur. Quare non immeritò Aristoteles, rerum abstrusarum solertissimus perscrutator, & alter Naturæ genius, eiusmodi contentiones sepulchrum Reipub nominare non dubitauit; Et verissime profectò, Nobiles enim sunt columna, Nobiles sunt anima Reipublicæ. Iam si cōtentionibus distrahantur illi, totum quoq; ædificium vt ruat, & corpus societatis ciuilis, aliàs viuendum, Caro Danda Vermibus efficiatur, necesse est. Quod cū ita sit, si nobis salus patriæ nostræ, quā matrib' nostris, quæ nos progenuere, chariorem ducere debemus, cordi est, quemadmodum omnibus bonis & cordatis viris esse debet; demus quæso operam, Collegæ honoratissimi, vt inter hos nobiles adulescentes, nulla interiecta mora, contentionem hanc cognoscamus & componamus. In hac autem de Nobilitate controuersia nobis consideranda potissimum venit



antiquā generis Nobilitas, quæ & communior est, & honoratior habetur, & veram gloriam sibi quodā jure proprio quasi vindicare videtur. Ea namq; quod antiquior est, eò major, & vt ita dicam, nobilior est. Vulgò quidē radicem & fundamentum veræ Nobilitatis in homine solam Virtutem animiq; quandā alacritatem & magnitudinem esse statuunt; Vicissim tamen plariscq; prudentissimis etiam, indubitatum, quod generis antiquitate & longa majorum, Virtute, celebrium, serie nescio quid quasi venerabilis ornamēti & pulchritudinis Nobilitati accedat. Obscurior enim plarumq; Virtus noua est; in oculis & linguis omnium ea, quæ à multis retrò annis in familijs illustribus velut hæreditaria ad posteros propagatur. Hinc aliquas olim etiam gentes fuisse accepimus, quæ magna contentione de originis suæ vetustate con-  
certarint; Ægyptios cum Scythis; cum Ægyptijs Phryges; cum Phrygibus Arcades, quorum hi etiam ante Lunam & sidera se fuisse gloriati sunt, προσέλανοι eam ob causam nuncupati, sicut vrbis Atticæ ciues αὐτόχθονες se esse iactitarunt, quod illa terra ex sese ipsa suos homines genuisse, eademq; regio & parens & altrix eorū fuisse propter vetustatem crederetur. Neq; sanè ridicula earum gentium æmulatio & de antiquitate patriæ certamen; Habet enim suam ætatem, habet suos auctus, habet suos gradus Nobilitas. Quare vt senectā veneramur, sic etiā cum Nobilitas incipiat, nascatur, augeatur, crescat, habeatq; iuuentam quasi florem, maturitatem quasi canitiem;



tiem; hanc profectò per multas atates, per multas fa-  
milias continuatæ, summaq; cum gloria perpetuatæ  
Nobilitatis, canam antiquitatem colamus oportet: Qua  
cùm multis parafangis antecedit Cornelius Flaminium,  
vtpote qui non ita pridem propria Virtute & liberalium  
artium scientia in altiore nouæ cuiusdam Nobilitatis  
locum peruenit, illum, Cornelium inquam, Flaminio  
nobiliorem esse & sentio & assero.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.  
*Fortissime Cæsar, habes, quod infringas?*

*C. Julius Cæsar.*

 Abeo equidem; Longè enim mihi alia mens est,  
P. C. cùm & verè Nobilium naturam, munus atq;  
officium diligentius cōsidero, & amici atq; Collegæ mei,  
ante me rogatus qui verba fecit, rationes accuratiùs per-  
pendo. Etsi enim in posteris antiquitatem generis me-  
ritò colere solemus, maximè si illa Virtutis stirps non  
excisa in illis sit, sed indies magis ac magis corroborata  
maneant; tamen vanam Antiquitatis fiduciam & inanem  
vetustatis gloriolam in mala propagine, ex generosa ra-  
dice proueniente, nihili facio. Quid enim aliud est, quàm  
insana ambitio, ab antiquissimis temporibus genus altè  
accerfere, & in ea re gloriari? Nihil habet antiquitas  
tantoperè prædicabile aut præstabile, nec quidquam facit  
ad Nobilitatis soliditatem & veritatem temporis diu-

G 3

turnitas;



turnitas; nec ideo beatiores sunt homines, quod antiquiores, etiam si Heraclida aut Cecropida sint & Codro ipso vetustiores. Quod quid corruptius, ideo vetustius. Quid vetustas, nisi labor & putredo? Igitur & sanguis antiquus nil aliud est, quam sanguis putidus & putrefactus. Quare nihil refert, si ad Romulum Brutumve tuum genus referas, si ipse moribus & tota vita ab illis dissentias. Alexander ille nomine & re magnus, & alij heroës fortissimi, qui à Ioue se natos esse iactabant, & Deos se vocari volebant, hodiè quid aliud, quæso, superba illa & arroganti originis gloria lucrati sunt, nisi, quod pro infans capropter habeantur, & irrisione omnium, qui sani atq; sapientes sunt, illudantur? Et meritò quidem. Nam si antiquitate Generis Nobilitas æstimetur, neminè esse omnium certum est, qui nō & avos & proavos, & abavos habeat vel habuerit, imò cunctorum tandem origo ad vnum autorem retrò adducetur. Inane est itaq; hoc antiquæ Nobilitatis nomen, si nulla res alia nobilem faciat, præter antiquam stirpem, & fumosas ac inanes stemmatum imagines. At magnum est magnis viris procreatum esse; Fateor, verum maius est esse magnū: Generi præire, non nocere conuenit: melius est bonum esse, quam creari bonis. Hoc intellexit Solstratus; at quātus Philosophus? cui cū generis obiecta esset ignobilitas, ideo maiori, respondit, in admiratione eam esse debere, quod genus à se initium accipiat. Quare, ut dicendi finem faciam, Nobilior mihi videtur, qui familiaria ob-



liæ obscuræ lumen intulit, quàm qui claram inertia ob-  
scuravit.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

*Ornatissime MARCE LICINI dic  
age sententiam tuam.*

*M. LICINIVS Crassus.*

**N**Eq; ego, P. C. à modò allata sententia dissentire  
queo, cùm ea quamproximè ad veritatem acce-  
dere videatur. Ius quidem ciuitatis nostræ summa certè  
apud nos est Nobilitas; Verùm ego tamen semper in  
ea fui sententia, eum demum esse verè nobilem, qui ad  
primariam Vrbis dignitatem, summumq; honorum fa-  
stigium anhelat; Caterùm id nemo assequetur, nisi sum-  
ma virtute duce comiteq; fortuna assequatur. Quòd si  
generis claritudine splendeat, polleatq; opibus, huic  
fortuna multum præsidij ad res feliciter gerendas adje-  
cit; quæ si desint, felicitati fortè aliquid, Nobilitati de-  
cedit nihil. Ac proinde assero Virtutem Romanorum  
opus esse, & qui est à Virtute alienus, eum ne Romanū  
quidem, multò minùs Romanum nobilem esse censen-  
dum.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

*Magne Pompei adde tuum suffragium.*

*Cn. Pom.*



**R***Ara avis in terris nigroq̃ simillima Cygno*  
 est vera Nobilitas; nec id quidem immeritò, cum  
 ea res, ex quib' ea præcipuè producitur, Virtus scilicet  
 Scientia rei militaris, & alia id genus rara sint admodum  
 & in paucis conspicua. Videmus siquidem, proh dolor,  
 tot passim homines, qui se nobiles superciliosè dicunt,  
 ambitiosè profitentur, cum nihil minus sint, quàm no-  
 biles, nec aliam verbis, gestibus actisq̃ Nobilitatem præ-  
 se ferant, quàm quòd superbos se, arrogantes, rixosos,  
 minitabundos in inferioris status homines & inopes ru-  
 sticos exhibeant; Iouem Opt. Max. & reliquos Diuos  
 execrabili ter blasphemant; & plus quàm Panicis terro-  
 ribus omnia cõpleant; indebiles & infirmos plus quàm  
 viros se præbeant, cum in hostes aut alios paulò animo-  
 siores & ad sui defensionem paratos minus sint quàm fœ-  
 minæ, Crocodilos scilicet ad amussim imitantes. Sunt  
 enim terribiles cõtra fugaces, fugaces contra insequētes;  
 ad summam, sunt Leones in pace, in prælio Cerui; &  
 quod in veteri prouerbio est, dignum patella operculum,  
 similes habent & alunt famulos, scelerum dominorum  
 ministros, & semper aliàs pessimè moratos. His & alijs  
 quamplurimis vitijs Nobilitatem maximè ostendi & de-  
 clarari existimant, cum nulla re alia eorum Ignobilitas  
 magis ostendi possit. Talem fuisse hæcenus Cornelium  
 nemo vestrum non nouit, Flaminium contrà ab huius-  
 modi moribus longè esse alienissimum indubitatum est  
 vniuerso



uniuerso militiæ nostræ ordini. Nam quoad longissimè  
potest mens mea respicere spacium præteriti temporis,  
& pueritiæ Flaminij memoriam recordari vltimam, in-  
de vsq; repetens, hunc artes liberales, quibus ætas pue-  
rilis informari solet, didicisse; post verò Iurisprudentiæ  
gnauiter operam dedisse memini, adeò vt cum prætexta-  
tus etiam tum Flaminius esset, omnes eum, qui aliquid  
de ingenijs poterant iudicare, & amore & promotione  
dignum existimarent; Posita verò prætexta bellicis re-  
bus totum se dedit, meq; summo studio sectatus fuit;  
Cumq; ego superioribus annis contra Sertorium ad bel-  
lum maximum formidolosissimumq; missus fuisset, ibi  
Flaminius se militē triarium explorataq; virtutis præ-  
buit; Sæpè ipsum hostium consilia explorare sua occula-  
tare, sæpè insidias facere aut vitare; sæpè castra loco cō-  
modo constituere & munire; sæpè pugnam vel declinare  
prorsus vel certè cautè obire; sæpè muros conscendere;  
sæpè hostem ferire conspexi; Cum verò ante triennium  
circiter, bellum Piraticum extrema hyeme apparassem,  
ineunte Vere suscepissem, illudq; tandem feliciter media  
æstate confecissem, & paulò post Imperator decreto Se-  
natus Populiq; Romani constitutus, dum Tigranem in  
vrbe Artaxata obsedissem, & infestissimum vrbi nostræ  
Mithridatem expugnassem, debellassem; ibi Flaminius  
me iubente, duxit exercitum; signa contulit; manum  
conseruit, magnas copias hostium fudit; vrbes partim  
vi, partim obsidione cepit; pro qua industria & in me-

H

undo



undo pralio alacritate, aliquoties vallarem, aliquoties  
muralem, aliquoties ciuicam coronam habuit. Proinde  
cum summa dignitas sit in ijs, qui militari laude ante-  
cellunt; omnia enim, quæ sunt in Imperio & in statu ci-  
uitatis, ab ijs defendi & firmari putantur; summa etiam  
utilitas, siquidem eorum consilio & periculo cum Re-  
pub. tum etiam nostris rebus perfrui possumus; Idcirco  
cum his facio, qui ante me Flaminium nobiliorem cen-  
suerunt.

D. IVNIUS SYLLANVS COS.

*Luci Corneli Lentule, quæ est tua de hac con-  
trouersia sententia?*

*L. Cornelius Lentulus.*

 Pud Homerum, iustissimum illum omnium re-  
rum aestimatorem, stomachatur & molestè fert  
Achilles, cum videt, æquales honores inæqualibus tri-  
bui; Nec sine ratione. Nihil enim ita portendit exitium  
ciuitatibus & regnis, quàm cum nullum discrimen no-  
bilitium & ignobilium habetur. Etsi verò, quod ad præ-  
sentem controuersiam attinet, Flaminius propria vir-  
tute & industria aditum sibi ad honores consequendos  
patefecerit & ad altiore[m] Nobilitatis gradum peruene-  
rit: tamen, quia nouis hominibus, qui à plebeio ordine  
ad Nobilitatis eminētiam ascenderunt, nihil insolentius,  
nihil intolerabilius esse solet, utpote, qui pristini status  
obliti non qui fuerint, sed qui impræsentiæ sint, in-  
tueantur;



ſueantur: Ideirco maiores noſtri, prudentiſſimi rerum  
omnium arbitri, apud quos infame nouorum hominum  
erat vocabulum, eiufmodi novos homines non facile ge-  
neris claritate fulgentibus præferebant, nec concedebant,  
vt iſdem derepente fulgore ac ſtrepitu externo antiquiſ-  
ſimas vincerent familias. Videbant nimirum, eiufmodi  
nouitios, ac repentes humiq; ſerpentes homines, per po-  
ſticum quaſi in medios Nobilitatis honores ingredien-  
tes, plarumq; quouis antiquo nobili inſolentia, faſtu,  
ambitione, fieri nobiliores; Honores mutant mores, ſed  
rariffimè in meliores. Narrant Bucephalum, Alexandri  
Magni equum, quoties nudus eſſet, equilonem in tera-  
gum admittere cõſueviſſe, regiſ vero phaleris & bullis  
decoratum, neminem præter Regem ipſum tuliſſe, in  
omnes autem reliquos ferocem fuiſſe; Ita ſanè fit in no-  
uis hiſce hominibus, quibus tenuibus & inopibus nihil  
eſt modèſtius, nihil placabilius, nihilq; blandius, ſed fa-  
cti nobiles, & nouo honore ebrj ac temulenti, primæ  
humilitatis & ſortis immemores, quos magno honore  
antè habebant, eos deinde ludibrio habent & contemptui;  
Tanta eſt animi cum fortuna mutatio;

*Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altũ.*

Quinimò iſdem ipſi maiores rariffimè & non facile eiuf-  
modi nouis hominibus procurationem Reipub. com-  
mittebant. Sciebant nimirum, eos plarumq; poculo  
quaſi Circeò dementatos, & noui honoris muſto inebria-  
tos Reſpublicas ſolere & cõcutere & perturbare. Quan-

Hj

cas



tās enim turbas, quantās trāgœdias hī adrepticj nobiles  
excitarint in Rebuspublicis externis, testis est Orator  
Atticus, sapientum eloquētissimus Demosthenes, & elo-  
quentium sapientissimus Isocrates. Quod ad nostram at-  
tinet Remp. prætereo domesticas maculas & invidiam;  
Historiæ quemvis docebunt faciliè, si aut veteris memo-  
riæ recordationem explicare, aut recentia exempla col-  
ligere animo atq; commemorare libuerit. Sed mihi  
quidem antiqua altè repetere molestum est, noua verò  
refricare cū odiosum tū superuacaneum, quòd ea re-  
centi penè omnium viuorum memoria teste confirmen-  
tur. Quod cū ita sit, nudo generi Nobilitatis pluri-  
mum tribuendum esse statuo, & antiquitatem, vt omni-  
bus rebus alijs quoddam decus adiungere, sic Nobilitati  
raram quandam maiestatem constituere, ingenuè profi-  
teor, eaq; propter Cornelium Flaminio nobiliorem de-  
cerno.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

*Marce Marcelle, hac in re quid sentias,  
nobis declara.*

*M. Claudius Marcellus.*

 Riginē Urbis nostræ nemo opinor vestrūm, P. C.  
Collegæ honoratissimi, ignorat, neq; quenquam  
latet, ciuitatis principia ex quadam hominum colluuiē  
coaluisse; Ex quibus quisq; quòd in reb' gerēdis extitit  
prōtior alacrior, eò fortior habitus fuit atq; nobilior;  
Et citra



Et citrà omnem Generis respectum Romulus, quem ob  
vitæ morumq; innocentiam in numerum Deorum rela-  
tum credimus, pro meritis nobilitauit vnumquemq;.  
Hinc Patricius, hinc Equestris ordo: Nec dubium est,  
quin superstes degeneres aut ignauos in ordinē redactus  
fuisset, virtutemq; recens emergentem in dignum ho-  
noris locum constituturus. Quare cum à cōmuni sensu  
alienum iudico, qui in dubium id vocabit, quod Ro-  
muli, quod multorum bonorum comprobatum est con-  
sensu: Neq; impedit receptus ab omnibus Oratoribus  
fermè mos, qui in Encomiis aliquando auos atq; atauos  
enumerant: Communis is quidem apodixeos locus est,  
sed inquit Rhetores, si natalium splendor desit, lau-  
dabile fuerit, claritudinem generi intulisse. Id quia Flaa-  
minius probè fecit, jure optimo Nobilis censendus est, &  
multis gradibus Cornelio præferendus, qui hæreditariam  
Nobilitatem per inertiam suam lāguere atq; adeò emara-  
cescere passus est.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

*Pub. Seruili tuum pro more Symbolum adde.*

*Pub. Seruilius.*

**V** Ideo plerosq; vestrū, Collegæ optimi, in par-  
tem Flaminij propensiores factos esse; Caussam  
nullam aliam animaduerto, nisi quòd Flaminium pro-  
prio Marte & industria ex humili genere ad sublime vir-  
tutis culmen peruenisse asseueratis: Cornelium contrà

H in

volu



Voluptatibus Iuuenilibus deditum quasi degenerē Nobilitatis hereditate excidisse contenditis. Verū pace vestra dixerim, Collegæ optimi, hæc vestra sententia Cornelium aggrauatum existimo. Quæ enim ipsi obiecta sunt à Flaminio vitia, Socordia, libido & luxuria; Illa neq; in persona neq; in natura Cornelij inesse dico, sed in moribus eius; Cornelium non natura sed licentia & libertas deteriorem fecit, æstus & affluentia rerum prosperatum transuersim abripuit, & adulatorum conuersatio deprauauit; quæ omnia facile vel excelsum animum & generosum de constantia mentis cursuq; possent deſcere; Num propterea Flaminius Cornelio præferetur? minimè gentium; Lubrica est iuuenilis ætas, quæ sæpè id agit, quod rectè fieri canities negat, huius vitia vel Xantippe Imperiosum animal facile corrigit, vel senilis tandem prudentia penitus tollet. Præterea, annon sunt etiam Plebei, quibus hoc est cum Cornelio commune, qui etiam egentes in mendicitate, quod est absurdissimū, insolescunt, & in paupertate superbi sunt, & in rerum omnium inopia libidinosi existunt. Ex quo sanè videre est, vitiositatem non inherere Nobilitati, sed accedere; nō Cornelio propriam, sed cum maxima parte hominum communem. Quòd verò hæc vitia grauiora in ipso, quàm Flaminio, appareant, sit hoc ppter, quia in Cornelium, omnium oculi vultusq; coniecti sunt, adeoq; in luce & in ore omnium versatur, ita ab omnibus obseruatur, vt nullum eius dictum aut factum possit esse propter  
claram



clarā generis nobilitatē obscurū; cūm Flaminius  
& alij ex plebe homines in tenebris lateant, nec videā se-  
rē quēquam, nec videantur. Nullam igitur causam  
video, propter quam Flaminius Cornelio præferri debe-  
at. At vim hominibus inferre cōsuevit. Sit ita; Annon  
eandem propulsare imposterū poterit? At nocere mul-  
tis consuevit. Sit ita; Annō eosdem seruare & defendere  
imposterum studebit? Annon apud aculeo lædit? & ad  
fauos fingendos prodest? Sic & Cornelius nō detrimen-  
ta solummodò, sed & adjumenta copiosè & Reipubli-  
cæ, & nobis omnibus adferet. Præferendum ergo Flami-  
nio Cornelium, & nobilitatem non ex moribus & vitijs,  
sed ex naturæ generositate dijudicandam omninò exis-  
timo.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

*Tu quoq; C. Scriboni adde tuum calculum.*  
*C. Scribonius Curio.*

**P**RÆjudicium jamdudum factum est; Propterea  
vt aliquid adijciam, necesse non puto. Nam cum  
ego Consulatum peterem, Patricium esse nihil profuit;  
Verūm hæc potissimum, quibus Flaminius, veluti va-  
lidissimo causæ præsidio nititur, literarum nempe co-  
gnitio, & rei militaris virtus, quibus duobus nihil con-  
junctius in Repub. esse debet. Nisi enim domi consi-  
lijs res agatur, arma foris parua futura sunt. Quare vt  
oculi bini conditi sunt, vt pedes gemini à Natura pro-  
ducti,



ducti, quò se mutuò adiuuent, nec impediunt; Sic ciues  
bonos Consilia & animos ad conseruationem Reipub.,  
pro cuiusq; tamen vocatione, conferre decet; Et vt in  
navis gubernandæ ratione, alia in prospera nauigatione  
vtimur, alia in aduersa tēpestare; ita cū duo sint tem-  
pora Reipublicæ, belli videlicet & pacis, cumq; eorum  
gubernatio varijs Euripis & mutationibus obnoxia in  
perpetuo motu versetur; idcirco varietate harū artium  
opus est, & quodam temperamento; Nunc arma, modò  
literæ requiruntur, & separari nequeunt, cū mutuo  
indigeant auxilio. Hoc Hercules, Musagetes veteribus  
dictus, & in communi templo cum Musis cultus; hoc  
etiam pacis armatæ; Symbolum Amazon quædam, gla-  
dium ramis oleæ immixtum dexterâ gerens, ingeniosè  
significare videtur. Arma igitur & Literæ sunt duæ Her-  
culeæ columnæ, ad solidū decus veramq; gloriam com-  
paratæ; his abjs itur in sublime, hisce vigiljs in pace,  
hisce sudoribus in bello celebritas & fama nominis, & ve-  
ra Nobilitas paratur, & post æui mortalis spacium re-  
linquitur immortalis & æterna. Proinde quia Flami-  
nius arma togæ feliciter iunxit, quibus ars omnis Rei-  
publicæ administrandæ consistit, eum ego Cornelio no-  
biliores statuo, & ut antea semper, ita & nunc fumosas  
imagines præclare factis posthabeo. Quæadmodū n. fu-  
cos nemo sanæ mētis homo laudat, qui apū laboribus &  
melli insidiantur; ita illis nobilibus, qui ex sudore & san-  
guine aliorū sua comparant cōmoda, suis indulgent vo-  
luptatibus.



luptatibus, fauere minimè possum, cùm, teste Diogene  
fucata Nobilitas velamentum sit malitiæ.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

ognoui, Collegæ Optatissimi, ex suffragiis vestris,  
plerosq; Flaminium, nonnullos Cornelium, no-  
biliorem iudicare; Ego dum sententias singulorum non  
dinumero, verùm accuratiùs, vt fieri debet, confidero,  
& non quot, sed quæ sint in medium allata, pondero, eo-  
rum, qui à Flaminij stant partibus, approbandam senten-  
tiam censeo. Cessante causâ cessare effectum docent  
Logici; Sic absente Virtutis excellentia eiusdem præ-  
mium, id est, Nobilitatis honorem abesse neminiq; de-  
beri certum est. Quòd si patrum ignobilitas nemini  
virtutem colenti nocet, & claritas quoq; eorundem tan-  
topere prodesse non debet. Nobilitatem veram annus  
producit, nō ager, id quod Lycurgus, Legislatoꝝ ille ce-  
leberrimus, olim suis Lacedæmonij pulcherrima Chria  
ostendit, cum duos catulos, alterum ex ignobili canum  
genere, qui ad ædium custodiam, alterum ex præstantio-  
re, qui ad venandum, aluntur genitos, enutriuit; Natum  
autem deteriori genere, venationibus exercuit, & meliori  
natum voracitati adsuescit; deinde eos in forum pro-  
duxit, & quædam gulæ irritamenta subinde dimisit; Inde  
vterq; ad quæ fuerat assuetus, impetum cum fecisset, &  
alter leporem, alter ollam sectaretur, Lycurgus, Sic nos  
(inquit) ô ciucs splendor generis, quem multi admi-  
rantur



rantur, Herculisq; posteritas nihil adiuuat, ni ea gesserimus, propter quæ ille omnibus se hominibus clariorem nobilioremq; ostendit. Præterea Philosophi tria numerant bona, animi videlicet, corporis & fortunæ. Animi bona, quibus Flaminius præditus est, reliquis, de quibus solis Cornelius gloriatur, tantò præstantiora sunt, quantò animi, quàm corporis, origo melior est: Et si Stoicis credimus animi dotes solæ in bonis numerandæ sunt; reliqua verò, si adsint, siq; rectè hīs vtaris, commoda fortassis appellari possunt: Sin autem desunt, ad benè beateq; viuendum nihil officiunt. Viuit enim apud Superos & habet sua munera virtus, cùm illa fluxa sint, caduca, & aliquando virtutis conatibus vehementer obstantia, Vnde factum est, vt Philosophorum quidam fortunas, tanquam virtutis & felicitatis remoras, abiecerint: Crates, cur magnum auri pondus abiecerit, ipse causam assignat, ne, inquit, me aurū mergeret. Cur Thales Milesius, vnus ex famigeratissimo septem Sapientum Collegio, ex patria profugus, nihil secum ferre voluit: Ideò sanè, quòd eo modo se expeditiorem fore cerneret: Huiusmodi sexcenta referrem ordine, nisi hæc sufficere putarem. Quare, quia veris animi dotibus exornatus Flaminius arduum Virtutis iter Dñs fortunantibus hætenus ingressus fuit, eum idcirco ad veræ Nobilitatis sublimitatem pervenisse, Cornelium contrà, cui Voluptas præ Virtute placuit, Nobilitatis hæreditate non iniuriã excidisse pronuncio. Tu itaq; Martiane Senatus consultum concipe & scribe.



MARTIANVS Scriba siue Actuarius,  
Id ipsum ago.

Interea Psalmus CXXXIII, Sex Vocibus à Iohanne Celschero  
Musico Thorunienſium expreſſus decantabatur.

MARTIANVS Scriba.

Audite, ſi lubet, P. C. Senatus Conſultum, an rectè in libri  
relatum ſit; ANNO AB VRBE CONDITA DC.  
XCI. D. IVNIO SYLLANO, ET L. MVRÆNA COSS.  
SYLLANVS SENATVM HABVIT, SENATVS DE-  
CREVIT, NE DEINCEPS IGNAVVS, QVANTVMVIS  
GENERE ET OPIBVS TVRGIDVS, PRO NOBILI  
HABEATVR: VIRTVTIBVS CONTRA VT ADITVS AD  
AMPLISSIMOS HONORES PATEAT, NEVE ALI-  
VNDE NOBILITAS, QVAM EX VIRTVTIBVS  
ÆSTIMETVR.

D. IVNIVS SYLLANVS COS:

*Rectè omnia. Vocentur ergo Partes.*

L. MVRÆNA COS.

*Præco, nunc ingredi eos curato, qui Sena-  
tus ſententiam expectant.*

P R Æ C O.

Fiet. Reuertimini vos adoleſcentes, Senatus jam  
de veſtra controverſia pronunciabit.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

*Quemadmodum à nobis petiſtiſti, adoleſcen-  
tes, audita veſtra & cognita cauſſa eſt: Quæ*

I 2

*etiam*



etiam vtrinqꝫ allata fuerunt, ea à nobis diligenter  
perpensa sunt, & secundum ea sententia dicta &  
concepta: Ea quæ sit, ex Actuário nostro jam in-  
telligetis. TV MARTIANE Sena-  
tus Consultum recita.

Hic ab Actuário recitatur SENATVS Consultum:

ANNO AB VRBE CONDITA DC. &c.

D. IVNIVS SYLLANVS COS.

Senatus decretum percepistis, ex quo facile  
intelligere est, vter ex vobis nobilior sit: Flami-  
nium novum quidem hominem, sed qui per suas  
Virtutes in magnâ celebritatem accrevit, Fla-  
minium, inquam, Senatus in aeternum præjudici-  
um nobiliorem magno consensu iudicavit, ita ta-  
men, ut Lucretiæ præjudicatum non sit, quin in-  
ter procos optionem integram habeat & retineat.

P. CORNELIVS.

Eâdem ego fortunâ periclitor Senatores, qua olim  
Aïax adversus Vlysses. Præter enim spem omnem  
atqꝫ expectationem meam, hæc mihi sententia contin-  
git, eaqꝫ maximè gravatum me sentio, utpote, qua igna-  
væ literæ liberalibus equorum canumque studiis an-  
teferuntur, Nobilitas negligitur, obscuritas inclares-  
cit.



scit. Quia tamen in vestrum arbitrium iudiciūq;  
quasi compromissi, æquo animo & patienti hanc genero-  
sitatis calamitatem feram, & proprio damno edoctus,  
cautiùs posthac de Nobilitate contendere discam.

FLAMINIVS.

Ego verò, Viri Amplissimi & Prudentissimi, vestra  
in causa mea industriam laudo, & pro hac tum in audi-  
endo humanitate & patientia, tum in iudicando fide &  
æquitate, vobis, quas possum gratias ago maximas, me-  
amq; vicissim operam & officium universis vobis & sin-  
gulis polliceor, meq; totum patriæ & Reipublicæ do,  
dedo atq; consecro, Deumq; immortalem oro, ut vos  
nobis universis totiq; Reipublicæ salvos & incolumes  
præstare & quàm diutissimè servare dignetur.

D I X I.

---

*Musica figuræ exquiritior huic actui finem imposuit.*

---



PERIOCHA HVIVS  
ACTVS PVBLICI.



Nobilitas, Virtus, incedunt positus æquæ:  
Hac sine nemo hominum nobilis esse potest.  
Degener est, laudis qui nominalæ dedit vitæ;  
Et vitæ maculat prostituitq; genus.

I 3

EPI



EPIGRAMMA DE HVIVS GE-  
NERIS EXERCITIIS AD  
AVTOREM.



Roscit in studijs iuvenilis gnaviter etas,  
Quando exercitijs pectus inane polit;  
Quando Oratores scribendo imitatur adauge;  
Argui aut Latij florida dona soni;  
Quando Poëtarum sequitur vestigia, versa  
Exornat mentem nobilitatq; suam;  
Quando Tragediorum crudelia facta revolvit  
Atroces animos seuag; facta notat;  
Dum Comœdorum simulatos exprimit actus,  
Sortis habet varias cum levitate vices;  
Quando Oratorum prolixo more perorat,  
Divitias lingvæ congerit illa suæ;  
Cum res subtili dubias ratione modoq;  
Discutit ingenium iudiciumq; sovet.  
Tanta exercitium iuvenili commoda præstat  
Aetati: hoc igitur sepe iuventa colat.  
Sed tamen hic Aëtus, si tantum vera fatemur,  
Præcellit reliquis utilitate suâ:  
Erudit hic iuvenes, quæ sit Respublica quondam  
Legibus et iustis instituenda modis.  
Sic igitur posthac, NIZOLI docte, iuventa  
Civiles casus fingere perge rudi.  
Vt quondam multos habeat Respublica Cives,  
Quorum iusticiæ pectus amore flagret;  
Vtq; Magistratus habeat Respublica cautos,  
Quorum iusticiæ pectus honore micet.

II. Adamus Freitagius Thorun;  
Gymn; patr. Collega.

AD



AD Dñm MATTHIAM NIZOLIVM  
PRORECTOREM GYMNASII THORVNIE  
ensis, ac Collegam mihi honorandum de  
Oratoria facultatis exercitijs &c.

Ode  
M. BARTHOLOMÆI VVILHELMI  
Radeberg; Misnici.



Vlta est Scholæ Gymnastica libera:  
Comædijs hic, dumq; Tragædijs  
Alter, vicissim differendo  
Ille, vel Eloquio iuventam  
Reddi peritam discipit impiger.  
Rectè quidem hæc: Ast utilius mihi  
Longè videtur, disputatrix,  
Suadag, si modò agam Lyceis.  
Nam disputans sic verificum rei  
Cuiusq; sensum inquirere; sic loquens  
Condiscit ex umbra quasi actum:  
Quomodo publicè agenda sit Res,  
Talem docendi, STVRMIVS, optimum,  
Lampas Scholarum, Duxq; Modum Scholæ  
Monstravit: ad quem ô Pædotriba  
Dirigerite tuos labores!  
Hinc Sturmianos, Consul ô inclute  
STROBANDE, curasti imprimier Tomos,  
Nostrum ut viam hanc ipsam ad docendum  
Gymnasium sequeretur aptam,  
Via uniformis iam tibi, MELCHIOR  
IVNI, decus, lux STVRMII & amule,  
Argentorati: omnem per orbem,  
Tollit & usq; te ad astra Fama

Et in



Et tu NIZOLI docte et amabile

Semper mihi: cum exercitia hæc bona

Proponis, adsuescens iuventam

Romuleæ benè disciplinæ.

Urge laboris propositum boni,

Mordacium nec vim metue agminum,

Aut Zoilorum pertimesce

Iudicio variante dentes.

Quod nunc per umbram vel tenuem exhibes

Cunctis videndum; lux radijs suis

Illustret: hos umbratiles ut

Postmodò non videas labores.

Post hoc secundis hisce laboribus

Toruna pubes crescet, ut optimè

Formata ad usum à te forensem

Accumulet tibi laude laudes.

Quin gratias iam mente tibi intima

Multas refert: nec non rogat DEVS


Te sospitet quisnam bonorum est.

Qui velit huic malè velle capto?

F I N I S.









ALVENSLEBEN

Cc

417



















DE VERA NOBILITATE  
ORATIONES DVÆ,  
A DVOBVS IUVENIBVS, NO-  
BILEM PVELLAM AMBIENTIBVS,  
APVD SENATVM ROMANVM HABITAE;

Olim à BONAGARSO PISTORIENSI Iurecons-  
ulto, & suæ ætatis Oratore clarissi-  
mo conscriptæ;

Ac deinde per XYSTVM BETVLEIVM AVGVSTA  
NVM in ludi formam redactæ.

*Nunc verò*

Actione Ciuili nova, interpellatio  
Senatorumq; diversis senten-  
tiis, exercendæ Iuv-  
ergò, vestitæ;

A MATTHIA NIZOLIO T  
Borussio, Gymnasij patrij P



Thorunij Borussorum  
Excudebat ANDREAS C  
Anno M. DC. I

